# Samuel Junius

## ‘Lucretia’

Tragoedia
(1599)

Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg

Februar 2006

## Personae Tragoediae

| | |
|---|---|
| Timpanista | |
| Ephodus | milites ad excubias ducens |
| Miles | |
| Collatinus | maritus Lucretiae |
| Sextus Tarquinius | Tarquinii Superbi Regis filius |
| Tarquinius | Egerii filius |
| Aruns | |
| Titus | germani Sex. Tarquinii |
| Cincinnatus | |
| Lucius Iunius Brutus | stultus Regis |
| Lucretia | uxor Collatini |
| Chorus mulierum Romanarum | |
| Chorus puellarum in Gynaeceo Lucretiae | |
| Tricipitinus | praefectus Vrbis Romae, parens Lucretiae |
| Spurius Lucretius | |
| Publius Valerius | nobiles Romani |
| Nuncius | |
| <Miles alter> | |
| Sosia | servus Sex. Tarquinii |

## Actus primus

Timpanista clamans, <Ephodus milites ad excubias ducens, Miles>

Tim. Ad excubandum hac nocte quos sors evocat,
Prodite cum armis atque adeste milites.
Eph. Petente Gades sole, iam crepusculo
Dubio, revisere opaca nox terras parat;
Sunt vigiliae procurandae: quos postulat
Ad excubandum sors, adeste milites,
Me sequimini. hos vicissitudinarios
Belli labores sustinete animo alacri.
Spes certa nobis, reddituram esse Ardeam
Tandem occupatam praemium longae morae.
Mil. Sequimur lubentes; sit voluptas quamlibet
Maior, acie structa facere in hostes impetum
Ac pro salute et honore patriae gloriam
Mortis pacisci honestae, quam diem ex die
Trahere et procul spectare muros Ardeae.
Eph. Animus probatus. at quia regitur suo
Arbitrio Mars nec, quo Imperator vult gradu,
Procedit aut pergit via, qua Rex cupit,
Nec Imperatori obloqui probos decet
Nec detrectare munera militaria.
Nos nostrum agamus officium: Prosperum
Cum contubernio suo hic stare volo.
Statilius huc stet, Victor illuc excubet;
Hunc Virgilius locum teneat, hunc Vegetius.
Sic rite nunc dispostas excubias reor.
Oculis cavete somnum, animis incuriam,
Ne opus sit excubitoribus excubitoribus.

Collatinus, <Sextus Tarquinius, Tarquinius,
Aruns, Titus, Cincinnatus>

Coll. Vos, qui hic in excubiis positi consistitis
Vicesque communi statione solvitis,
Pluteos et aggerem cratesque seduli
Portamque servate oculis perspicacibus,
Vt ne quod vestra ad Rutulos oscitantia
Decus redundet, iacturae ad nos dedecus.
Commerci habet nil virtus cum socordia.

Sat ludibri nobis, sat Romanae opprobri
Est fortitudini, primo quod impete,
Tentata ut est res, Ardea non quivit capi.
Quid, Sexte, censes numquid tesseram damus?
Sex. Id, Ephode, curae sit tibi, tua industria,
Tuus labos: stationes quisque militum
Probe tuentor, iniussi neu prodeant.
Te coenulam mecum, meo in tentorio
Consumere, Collatine, et convivarier
Bellique taedia sermonum dulcissumis
Vicibus levare aut ludo aut alea velim.
Sunt commeatus regii; sat opipari,
Sat liberi nec tam duri, quam diutini,
Quantum tuor, belli imminet nobis metus.
Coll. Rerum prius satagere nostrarum interest.
Sex. Quid pluribus est opus? dum constituta sunt,
Disposta recte singula: legionarii,
Equites, duces, pedites, praefecti militum
Magistrique ordinum, tum quisque caeterum
Et officium et locum tuentur strenue.
Coll. Morem gero non absque periculi metu.
Sex. Quid hoc?
Coll. ducem belli fidum semper decet
Catumque, nonmodo quae ante pedes advortere,
Sed et prospicere futura et extimescere.
Sex. Nil hic pericli, nil metus, salva omnia.
Acciti et alii iuvenes aderunt regii:
Iam commode intervenit et Egeri filius
Tarquinius.
Tar. adsum, ductor optime Tarquini.
Et te salute multa impertio.
Sex. tuus
Adventus, optime patruelis, est mihi
Longe gratissumus. utinam adessent caeteri
Vocati! nam adlubet pellere curas mero. 66

[Et vesperam hanc genio dicare liberam: a
Adeste et adcubate suo quivis toro.] b

Tar. At ecce Aruns Titusque fratres cum suo
Cincinnato adsunt.
Sex. haud temporius quiverint.
Aru. Salvere te fratrem iubemus plurimum;
Paremus ad coenam tuam.
Sex. gratissumi
Mihi hospites, salvete vos quoque plurimum:
Germane Aruns, germane Tite atque tu simul

Cincinnate. intus sunt parata iam omnia,
Sunt vorsa, strata, lauta, cocta structaque.
Cibi expectant: corrumpentur epulae mora.
Adeste et accubate suo quivis loco.
Cin. Ad rectam honoris causa, ut video, advenimus
Coenam; non sportulam aut convivii reliquias.
Tam liberalis convivator, Tarquini,
Cum sis, nos liberales esse itidem decet
Salibus iocisque. convivatori bono
Sic bene conveniet, opinor, cum hospitibus bonis.
Sex. Probe, mi Cincinnate; inter bonos bene
Agier oportet. curarum aspera amaraque
Portare ventis dabimus in mare Creticum.
Cibis manum admovete, pocula vertite:
Madidi Cerere et Baccho sales magis placent.
Coll. Coena dubia est.
Sex. quid hoc est verbi?
Coll. quia nescio,
Quid aut ubi sumam mihi potissumum.
Aru. Idem Collatino et mihi accidit: nimis
Blanditur attagena, arridet capus,
Nidore phasianus excitat gulam,
Ardorem edendi ferculorum varietas
Restinguit.
Sex. imperatorem minime decet
Terrestri, Cynica, passerina coenula
Accipere tam insignes exercitus duces.
Adeste manibus: patinae stent, scyphi ambulent.
Tibi propino, Aruns.
Aru. bene est. sequar; tibi
Propino, Collatine.
Coll. accipio perlubens.
Aru. Pleno sapit pectore, cape hem.
Coll. gratissumum est.
Tibi, Tite, praebibo.
Tit. sit salubris potio.
Coll. Accipe, Tite.
Tit. gaudeo; tibi, Cincinnate mi,
Propino, quantum vini in poculo est.
Cin. Bibito salutem atque expedito te ocyus.
Tit. Mox expedivi.
Cin. agite, si vobis sederit.
Hanc pro salute regia circum agere
Placet diotam et in orbem bibere amystide.
Te, Tarquini, Egerida primum provoco,
Primam tibi ferens salutem a te peto.

Tar. Antiquius salute regia mihi
Nihil fuit unquam eritve, dum hos artus regit
Vitalis aura; dum manus haec ensem reget,
Rex vivat incolumis et victor hostium.
Tu regiam salutem porro promove,
In me moram nullam patiar accingere.
Pro regia salute propino hoc poculum;
In regiam salutem accipiam id poculum.

<Lucius Iunius> Brutus

Bru. Quid hoc dicam rei esse? pro Divum et hominum
Fidem? ita inter homines esse iam nihili fidem?
Ita flocci pendi? ego regiae aulae inservio
Iam plurimos annos summa opera et fide:
Neque minimum neque maximum, feliciter
Gestum quid est, sine consilio, sine ope mea.
Mea virtute Suessa capta, prudentia
Mea Sabini oppressi; ad Eretum nova
Romanorum imperio addiderunt robora.
Gabii meo consilio capti, legibus
Vivunt Romanis. si qua sit legatio
Obeunda, auxilia concilianda, foedera
Ferienda, me oratore res prosperrime
Cadit. missus Delphos scitatum oracula
Ita rem expedivi, possit ut nemo melius.
At quae mihi inde merces? quaeve gratia
Laborum exantlatorum mihi rependitur?
Risu atque sannis me excipiunt; ciconiae
Pinsunt, iure calido perfundor: haec est mihi
Merces, haec gratia. haecne feram diutius?
Ad Regem deferam, illi de hisce iniuriis
Conquerar: ut nullo mea consilia sint loco,
Vt parvi pendar. quod peccatum ad Ardeam est,
Id omne peccatum inde, quod neglexerunt
Me ad sua adhibere consilia. at norunt probe
Ipsorum stulta facta me reprehendere
Et fatua consilia insectari acrius.
Metuunt, ne ipsorum inertiam atque ignaviam
Regi palam faciam. ita me fugiunt mali
Neque, uti solent, cum sunt domi, in oculis ferunt.
Vindicta prae manu est. iam ipsis turbas dabo
Insperatas, introrumpam ad convivium,
Maledicta multa merita dignis ingeram.
Salvete, bellatores strenui: sic decet

Commessando hostes vincere? capere Ardeam?
Sic cunei turbandi? perrumpendi globi?
Sic deiiciendi muri? superandi aggeres?
Praeclare agitur res, dum pugnatur poculis.
Tit. Ne commovere tantum, Brute. desine
Irasci et indulge nobiscum tempori.
Momenta sunt pugnae sua, sunt conviviis.
Bru. Egone haec abire sic sinam? non per Iovem,
Per Romulum, Martem, Faunum, omnes per Deos
Deasque. nam alia mihi in mandatis Rex dedit.
Iis dum obsequi satago, interim vos vivitis
Genio ac gulae: phui milites haud milites,
Valete. ego abeo, militem ut cogam meum,
Quo expugnatam Ardeam vobis brevi dabo.
Tit. Mane hic merumque gusta nostrum, Brutule.
Bru. Mirabar, essetisne ingenio ita rustico,
Vt me hominem honoratum, insalutatum quoque
Dimitteretis a vobis fauce arida.
Tit. Sume ac bibe.
Bru. tibi, Tite amicissume omnium,
Hoc poculum propino.
Tit. servet te salus,
Nostrum decus, nostri clypeus exercitus.
Bru. O dulce nectar; o Deorum poculum,
Infunde denuo, puer; nam denuo
Mihi bibere libido. quam gratus ferit
Nares odor; tinge labia, Bacche, irriga
Pectus siticulosum, curis aridum.
He hem places, nondum ebibi. o miserum virum,
Qui nequeam uno haustu ebibere tantulum scyphum.
Quid hoc? ut te male perdant Furiae, Erinnies:
Dentes mihi excussisti; sanguinem expuo.
Nusquam fides tuta est, fides passim exulat.
Erit, ubi te ulciscar tuumque dolem caput.
Cin. Omitte nequam hominem atque nobis asside.
Bru. Quid hoc novi sceleris? apage, aufer te illico
Meis ex oculis, ni perisse vis iam illico.
Cin. Visne de anatis pectusculo an cervicula?
Bru. Lippisne an caecutis, mi Cincinnatule?
Quod podicem mihi porrigis pro cervicula?
Retine tibi; magister ego sum meae gulae.
Sumam ipsemet, palato quod sapiat meo.
Sex. Votiva nobis pro salute regia,
Mei o amici, sunt exhausta pocula
Bene multa in orbem. vota Iuppiter pater
Secundet. at sub pellibus dum degimus

Procul domo, procul caris uxoribus,
Procul iunctis propinquo amicis sanguine,
Oblivioni eosdem tradere haud decet.
Itaque pro eorum quoque salute perpete
Concipere vota mihi placet, quae in ordinem
Patera ambulante persequamur singuli:
Tibi ergo, Collatine mi, carissumae
Proque coniugis meae proque coniugis tuae
Salute, quod vides, propino poculum.
Coll. Vtinam favore caelitum, Rex optime,
Vxor tua sit tibi salva, mihi incolumis mea;
Iugisque eorum perduret felicitas.
Quo nostrum utrique gratius quid accidat?
Votum ergo firmans, recipio poculum lubens.
Sex. Sume, euge: felix ita sit et mihi mea
Et tua tibi coniux.
Coll. firmet vota Iuppiter.

[Pro regiae salute coniugis et meae
Tibi hoc propino.
R. vota prosequor lubens.
Alius. Pro regiae atque Collatini coniugum
Salute, Deus, venerans propino hoc poculum.
R. Votum sequor poculumque recipio lubens.

Coll.] Nos poculis pugnamus strenue satis.

[Sex. Plane obstinatam hoc iusto bello ulciscimur.
Gradive Mars et o Quirine Romule,
Romulidis annuite laetam victoriam?
Quid expeterem votis ardentioribus,
Quam si potitus de hostibus victoria
Irem revinctus viridi tempora laurea

Coll.] Ecquando erit, patri Regi fortissumo
Partae feramus nuncium victoriae
De expugnata Ardea, de fusis hostibus?
Sex. Superbiam audacemque contumeliam
Ferociamque Rutulum et pervicaciam
Plane obstinatam hoc bello iusto ulciscimur,
Romanos qui exsules non dubitant recipere
Eosque in patriam conantur reducere.
Tantamne contumaciam, tantum nefas
Cadere in genus hominum hoc, quod se subducere
Suetis ministeriis, iustis laboribus
Et debitae fidei reluctari audeat
Ideoque regnum odiis belloque lacessere?

Coll. Prudentia, consilio, perspicacia,
Sagacitate rationisque acumine
In Marte dubio effectum saepe plus dari
Quam vi vel armis, censeo, aut potentia.
Nec caetera inter hoc est momenti levis,
Eum qui DEVM auxiliatrices poscit manus
Hostemve vel minimum quavis pavet horula.
Sex. Inflati opum ac divitiarum affluentia,
Quis nulla gens aut regio concertaverit,
Stipendia tamen et tributa publica,
Toties rebelles, detrectant Vrbi et patri,
Reditus item tum vectigalia subtrahunt,
Regalium erogat dum nervos sumtuum,
Operumque publicorum magnificentia
Exornat amplitudinem imperii et decus.
Coll. Spe pascor optuma, ex voto quod Romulus
Pronunciavit primus, ut mortalibus
Defunctus ad coelestia transiit indiges:
Nullas opes hominum Romanis viribus
Resistere posse aut illas saltem infringere.
Sunt, sunt Dii custodes hominum et terrestrium
Curam gerunt, nec omnia fortunae rotat
Ambiguus impetus aut fati violentia.
Proinde rebus Roma militaribus
Dum dedita est, merito lux orbis et caput
Domusque virtutis et imperii dicitur
Et dignitatis arxque gentium omnium.
Tollant Athenae laudibus super aethera
Et natum ad fortia Thesea praedicent suum:
Qui sponte, nulla cum premeret necessitas
Regnumque tenere posset haud inglorium,
Res arduas animo sit ausus maxumo.
At ROMVLVS nostrae Vrbis conditor et parens
Quam laude sit factisque Theseo prior,
In omnium ore et literis mortalium est.
Sex. Nimirum inanis est plane et vanissuma
Atheniensium isthaec gloria et iactantia,
Qui civium suorum iactitant gregem
Non gentium exterarum multitudine
Promiscua dubiam traxisse originem,
Ex se sed ipsos prosiliisse: ut sic parens
Tellus eadem sit et nutrix et patria.
Coll. Nam primitus nec Vrbem Theseus condidit
Nec a minimis ad tantas res progressus est,
Sed urbem posuit ex compluribus unicam:
Iussis in ea aliis simul considere

Multasque Regum et heroum cognomines,
Antiquitate celebrium, aequavit solo.
Quae nostra vero Roma habet incunabula?
Tenuia sane, ut quae fato mirabili
Adaucta, ad imperii praelustre tam decus
Potentiaeque maiestatem evaserit.
Nam Romulus, Diis qui fortunantibus
Ad extruendum regnum hoc extulit caput,
Primam sibi curam divini Numinis
Sollicite accivit et favorem coelitum.
Quapropter a Divum cultu auspicatus est
Et templa Diis et aras primum condidit
Et te pium, Quirine, qui mortalibus
Praesente DEVM favore cuncta cedere
Feliciter non immerito arbitratus es.
Proin modestiam et IVSTI reverentiam,
Felicitatis haud minimum statuit gradum
Tandemque robur animi bello vividum,
Virtute cuius dotes constant caeterae,
Ad constituenda tantae Vrbis primordia
Sapienter omnino et feliciter est ratus.
Sic adeo civibus DEVM observantibus
Legumque iuramento et fidei deditis
Animisque fortibus acriter aemulantibus
Honesta virtutum optumarum praemia
Reliquit hanc exemplar Vrbem posteris
Piae, modestae, iustae belloque inclutae.

Sex. Id unice parens etiam ipse cogitat
Sollicitеque admodum rationes secum init:
Qui regio dignum gerat se munere
Et huius imperii fines non modo soli,
Poli sed usque augendo terminet plagis,
Vt Rex sit celebris Vrbis celebratissumae
Virtute Romuli Numaeque legibus,
Quorum ille belli fama claruit, hic togae;
Et nobili illa Tulli fortitudine,
Qui effoeminatos sacris animos civium
Ad fortitudinem revocavit bellicam.
Is dum pavorem et pallorem coleret Deos
Matris ruinis Albae, Romae filiae
Vires et incrementa locupletissuma
Adiecit, numerum geminans nostrum civium.
Et cui domiciliorum hanc magnificentiam
Debere semper Roma se fatebitur
Industria Anci ornataque magnificentia,
Devotione item Tarquinii, qui nihil

Molitus est novi sine consilio auguris.
Idcirco navium quando novacula
Cotem scidisset, aerea dignatus est
Statua, ob insoliti facti magnitudinem
Vt nomen illius asservaret posteris.
Haereditario dein iure Servii,
Qui filiam patri simul et regni decus
Commisit et nobis hoc stemma regium.
Proinde nos etiam quid, regium genus,
Munitione et obsidione ad Ardeam hac
Virtute dignum regia patrabimus.
Nos regia progenies, nos sanguis regius;
Si quid geretur aut praeclare aut fortiter,
Virtute nostra fiet ac industria.
Stat ferre casus omnes ac periculis
Caput omnibus obiectare, pro patrii soli
Et regii pro libertate sanguinis.
Vtinam mihi iam iam daretur obvius
De gente quisquam Rutulum perfida ducum,
Quem non pigeret armis mecum comminus
Contendere de salute, vita et sanguine:
Quam niterer, sentiret prole regia
Sese imparem Deosque iusti vindices
Causae bonos nostrae patrocinarier.
Sic transadigerem costas ensem lucidum,
Sic pulvere trucidatum multo extenderem.
Dextrae faveret audenti armipotens pater,
Qui bella cuncta suo torquet sub Numine.
Sic victor auferrem precium certaminis;
Ipsum darem hostem victimam Diis inferis,
Ceu Taurios sacrare consuevit pater.
Iovi spolia suspenderem Feretrio
Opima, ceu de Acrone quondam Romulus
De Rege prima Coeninensium tulit.
Irem revinctus viridi tempora laurea,
Humero tropaea dextro fulta baiulans
Triumphalemque simul paeana praecinens,
Toto sequente in armis militum agmine;
Vrbemque sic adirem, me excipientibus
Cum gaudio et admiratione civibus.
Quae tum patrum plebisque gratulatio?
Quae vota liberum, tripudia coniugum?
Scio Aedepol, si tam felice nuncio
Famaque personarent aures coniugis,
Tanto meorum honorum et laudum in munere,
Aut quoque saltem eventu reducem cerneret,

Quae non ovanti mente foveret gaudia?
Per sidera iurem, ita me servet Diespiter,
Ludos, Sibyllinis pro ut sanctionibus
Vel augurum constant praeceptionibus,
Votivos hosque magnos ageret illico
Solenniter, secunda pro victoria.
Plebi patribusque festum indiceret diem;
Inque capitolio, tum musicis sonis,
Tum equestribus certaminibus spectacula,
Tum gymnicis daret, ampla statuens praemia.
Proin domesticis animi virtutibus
Industriaque testaretur gaudium:
Festas pararet atque regificas dapes,
Et regia personarent plausibus atria;
Iamque has reduci corollas, haec donaria,
Haec obstinati proferret desideri
Et amoris et fidei socialis symbola.
Haec de mea certe mihi coniuge ausiem
Aliaque polliceri, quae sexum decent
Muliebrem simul et dignitatem regiam,
Vt foeminas quasvis aetatibus omnibus
Spacio reliquerit post se longissumo.
Coll. Magnifica profers, Sexte, quae lubentius
Concesserim, si me quoque paucis audies.
Ego de pietate, modestia et industria
Lucretiae meae et de matronalibus
Proferre possem verba plurima laudibus.
At vero ego tam vanae non sum arrogantiae,
Vt praedicare phaleratis laudes sonis
Vxoris ampullisve verborum velim;
Nec tam humili rursum praeditus vecordia,
Easdem ut obliteratas exoptaverim
Silentiove sepultas perpeteque obrutas.
Quod si ergo non grave est, periclitabimur
Harum utra laude florens sit praestantior.
Paucis id horis experiri fas erit,
Quantum mea praestet caeteris Lucretia.
Quin si suus alacri iuventae inest vigor
Et laudis ardor, equos citi conscendimus,
Fuscis prius nox quam alis terram amplectitur;
Nostratiumque praesentes invisimus
Mores et ingenia. hoc sit spectatissumum
Cuique, hoc oculis unicum saltem aucupet,
Inopinato quodcunque adventu viri
Cuiusque virtutis labisve occurrerit.

Sex. Age, pareo: dextram date, quotquot regio
Adestis hic viri et iuvenes convivio.
Coll. Recipio.
Aru. promitto.
Tit. sequar lubens.
Tar. nihil
Mihi gratius sit.
Cin. nihil est, quod magis velim.
Bru. Nusquam abero procul, extremum scabies occupet.
Coll. Primum omnium ante alias Romam contendimus.
Sex. Fiat.
Coll. cito dein passu Collatiam.
Sex. Pergo.
Coll. sequor.
Sex. hinc prior gyrum laetus roto.
Nunc, nunc equum calcaribus armos fodite,
Quo tenebris praevortamus intendentibus.

## Chorus mulierum Romanarum

Cho. Modo profecta Romuli
Tellure, quam Tybris pater
Appennini ex radicibus
Leni perstringit agmine
Hetruriamque a Latio di-
Vidit, huc torsi vestigia
Emensa difficilem viam,
Non sine vitae periculo:
Vt copias ad Ardeam
Coram ipsa viderem,
Quam modo vallatam moenia
Nostro ferunt a milite,
Primis quod oppugnata moli-
bus non potuerit sub iugum
Domita nostrum submittier
Et dominam agnoscere Romam.
Dum sic duces et agmina
Lectaeque pubis robora
Et castra Romulidum tuor,
Mi tenera pertentat pavor
Inopinatus pectora
Et membra concutit horridus
Tremor, soluta frigore.
Namque ego laborum praesides
Moliri laude sua super

Spe nixa quae reor optuma,
Etiam quati urbem exercitu
Armisque muros cingier,
Portas domosque dirui
Fundoque ab imo vortier
Et aequa solo fumantia
Culmina prosternier Ardeae
Praedamque dividi hosticam
Oculis inhians desidero:
En, copias agere otia
Horasque lentas conspicor.
Ac ipsa vidi equidem duces
Aliosque iuvenes regios
Iisdem una in tentoriis
Et iuxta militum gregem
Hoc pariter securum modo
Aut tesserarum frivolis
Collusitantes iactibus
Aut recreantes mutuis
Disci animos lusibus aenei.
Siccine moenia vellere convenit
Hostilesque recludere portas?
Talorum scilicet ariete
Discive ahenei ictibus
Repagla labascent illico.
O mores hominum, o secula.
Sic Mars, Dii sic coelites
Nostris victoriam annuent,
Si lusu, si decet otio
Voluptuariisque si
Licet indulgere gnaviter
Exercitationibus.
Hac mollis ad sacram via
Virtutis arcem curritur.
Hinc conspicata sum dapes
Luxu paratas regio:
Hic luscinias, hic vidi aves
Consumier Iunonias,
Attagenes et coturnices
Nec non, quas Afer educat.
Ac parte ab hac videas licet
Ferinae pinguis viscera
Minutatim tosta verubus
Varioque odora aromate,
Nec non viritim largiter
Bacchi veteris implerier

Duces; illos exercitus
Mox aemulatur strenue.
Nam velut ampiruant praesules,
Sic volgus inde redandruat.
Hic belluones, hic gulae,
Hic ganeones, gurgites,
Hic vocibus ebrium omnia personant,
Natant mero tentoria,
Hac bibitur, vomitur, stertitur
Madentque liquore strata Massico;
Hac dicit amores fistula,
Aut bella vox canit ebria.
Hac Bacchus ad caedem trucem
Socios, amicos intimos,
Animis usuque proximos,
E contuberniis vocat
Praedamque Plutoni immolat.
Haec oculis egomet omnia
Notavi iam stupentibus;
Eadem domi meos apud
Penates, ante quam discederem,
Praesagiit animus omnia.

## Actus secundus

Collatinus, <Tarquinius Egerii filius>

Coll. Ita me Dius Fidius: ut haec cunctatio
Tarquinii, tempus ultra qui nos distinet,
Stimulos furoris et irae concitat mihi!
Iam pridem bilis inaestuat praecordiis;
Vix eloquor, ita ardescit ossibus dolor.
Quem mox ego?
Tar. praestat animi contundere
Exaestuantis motus. nam factu asperum est
Et admodum difficile, proli regiae
Dare consilium aliquod aut obstrepere audacius,
Ne dum reprehendere de facto arbitrario;
Et hoc praesertim tempore, dum vices gerit
Patriaeque maiestatis praestat munia.
Coll. Quousque vero his nos ludificatos modis
Crispante naso deridere desinet
Et nostra tam diu abutier patientia?
Equidem per immortales crediderim DEOS,
Fastus eo evaderet et insolentiae,
Ad instar ut servorum nutus nos suos
Timere et observare iussa pervelit
Et operas exsequi quasvis famulantium.
Iugum excutit leo vinciendus chordula.
Tar. Sua Regibus volupe est existimatio.
Coll. Si efficiunt magnanimum natumque ad fortia
Luxus, superbia, dominandi cupiditas,
Primo sedere loco, digito monstrarier,
Despectui cunctos habere, neminem
Vel superiorem ferre posse vel parem,
Iniuria quemvis lacessere optumum
Et subditos crudelitate incessere:
Ex quovis facile Rex potestur eligi.
Tar. Atqui ego de Rege dixerim modestius.
Coll. Id, res quod est, loquor. nam honorem, gloriam,
Imperium aeque Rex et plebeius adpetunt.
Nec sic honorum antiquitus contentio,
Superbiae aestu regnandique libidine,
Quaeque ex avaritia pullulat opum fames,
Maiorum animos nostratium occupaverat.
Illis egestas habita probro non fuit:

Quippe qui in inopia res gessere maxumas,
Virtute abundavere et moribus bonis
Et artibus variis, dum parsimoniae
Ac continentiae suus fuit locus.
Iam vero ubi divitiae, congeries opum
Coepere honori esse et miraculo omnibus,
Et hasce gloriae decus et potentia
Est subsecuta et imperii dignitas,
Virtutis obduci ferrugine visus est nitor
Honestatisque hebescere fulgor inclytus.
Tar. Tace, tace; fallor? strepitus an auribus
Insonuit forte an meis? videor mihi
Audire vocem Tarquinii: ipsus advenit.
Eamus, accingamur; saltu corpora
Subiiciamus in equos subito.
Coll. haud cessato opus,
Serae priusquam anticipet noctis terminus.

## Chorus

Cho. Quo virtus veterum recessit? aut quo
Romulidum abacta est fortitudo finium?
Et modo debilitata potentia?
Qui saepius ante id temporis
Ingentes copias parva manu
Fudere, prostravere funditus
Gentesque immanitate barbaras
Fastuque ferocientes turgido
Vrbesque natura et situ loci
Pugnando munitissumas
Sub iuga traxere et imperium suum.
O Roma, terrarum Dea, gentium parens,
Cui nil secundum est nilque par:
Quid, o infortunata, Regibus
Sub talibus domita iugum trahis!
Superbus hic Tarquinius, Ardeam
Qui poterat vincere, regiae
Auctoritati subditam,
Stativa locat et obsidionibus
Tentare longis rem parat.
Belli reliquit molem filio,
Qui nil minus quam bellicum
Quid spirat, et incrementa regni cogitat:
Vtpote qui Veneris in luco eductus probe,
Voluptatum illecebris intentus est

Luxusque mollitiei totum se dicat.
Rex interim domi helluatur strenue
Novisque exactionibus omnium insuper
Opes exhaurit civium
Et subditum expilat peculia:
Vt habeat unde superbiae,
Ac luxui intolerabili
Et prodigalitati suppetat,
Sub regii praetextu nominis.
  Nimirum soboli patriae
Virtutis indoles inest,
Et stimuli inhaerent pectori.
Regnum cruento nam capescere
Auspicio non veritus fuit,
Dum soceri caede polluit manus
Et scelere partum obtinuit dominium.
  Quid memorem detestabilem
Et devovendam diris omnibus
Immanitatem Tulliae?
Qua matre satum est hoc lepidum mercimonium?
Quae acta furiis Cocytiis
Patris super demortui
Generi recens trucidati violentia
Carpentum agere ausa cadaver est.
  O furia, o fera tigride saevior,
O foemina Diis immortalibus
Exosa pariter et mortalibus omnibus.
O filiarum, quas humus
Orbe super spacioso fovet,
Quas lucidum Phoebi uspiam iubar
Auricoma lustrat lampade,
Abominatio et piaculum omnium,
Quae mortuum tantum in patrem
Patrare non verita es nefas.
  Ex hac foemineum (si Diis placet)
Deinceps audiet genus bene,
Haec nostro accesset gloria sexui.
Nec vana vatum priscorum greges
Suis commenti sunt in fabulis
De perfidia muliebri.
  Hic ardor, haec parentum insignia
Sunt calcar ad virtutem scelera filio
Ad explicanda tam feliciter
Belli discrimina regii.
  Non haec o Romule, Romule
(Quem genuerant Dii custodem patriae,

Qui nos in oras produxisti luminis,
O pater, o sanguen, oriundum Diis),
Non Iulio haec mandata Proculo
Suprema, vivis excedens, dabas,
Quae civibus suis proponeret:
Si scilicet cum fortitudine
Exercituri sint modestiae decus,
Ad summum honorum, si uspiam est,
Potentiaeque evasuros fastigium.
At vero ubi pro labore inertia
Et pro aequitate ac continentia
Libido invadit et superbia,
Ipsis simul est cum moribus
Necesse fortunam immutarier.
Sed vos o assertores patriae Dii,
Quorum usque Roma stetit suffulta Numine,
Tuque o supreme Divum Iuppiter parens,
Quem iura terrigenis dare credimus:
Imponite huic, quaeso, finem malo
Superbiamque Regis iniustissumi,
Prout meritus est, gravi poena ulciscimini.
Exorere nostra tandem stirpe quispiam,
Qui moderamina rerum
Feliciore capessat omine,
Qui nomen imperii et salutem civium
Romamque factis ferat ad aethera.

## Lucretia

Luc. Satin' voluptatum est in vita parva res;
Raroque solidis delibutus gaudiis,
Dum luce perfruitur homo, floret affatim.
Ita Diis placitum, VOLVPTATI ut maeror comes
Subinde consequatur; quin incommodi
Malique plus eveniat adsitque illico,
Siquid boni quandoque nobis contigit.
Id nunc experior de me deque me scio:
Quae, dum maritum forte frugi nacta sum,
Qui genere, dignitate, animi praestantia
Nulli Romulidum quidpiam concesserit,
Qui me amat efflictim, quem contra ego amo impensius,
Raro tamen videndi illius copiam
Ad votum habeo quia, dum toties ille hinc abest,
Nunc sola vivere vitam ego videor mihi.
Plus aegri capio illius ex absentia,

Quam ferre quae tot posse secum gaudia
Haec vita coniugalis volgo creditur.
Vix iam Gabinis Regi rebus in manum
Romano traditis ictoque foedere
Iam denuo cum gente Thuscorum effera
Aequumque consopitis pace cohortibus
Clausisque portis belli, arctis compagibus,
Datam quietem ROMA gratulans sibi
A militia et frequentibus tumultibus,
Quae voverat Iovi et Deae Laciniae
Bellique praesidi, magnae Tritonidi,
Ad fabricam templorum sese exsuscitat;
Mox alia suboriuntur belli incendia.
  Hinc Ardeam oppugnatum mensem in alterum
Dimissus hoc mihi aegritudinis parit.
  O te Deorum quispiam, Ardea improba,
Subvertat erutam, exstirpet radicitus,
Quae nos metu exponis, periculo viros.
Sed hoc me recreat, saltem quod pro patriae
Salute et imperii Romani gloria
Haud laudis impos dimicat; id solatio est.
Absit, caput sane obiectans periculis,
Dum laude parta modo recipiat se domum.
Patiar et perferam usque animo forti illius
Et obfirmato absentiam, modo si mihi
Mercedis id datur: ut victor coniux meus
Belli clueat, satis mihi ducam gloriae.
  Nam VIRTVS incluta praemium optimum est sibi;
Profecto rebus anteit virtus omnibus.
Res, vita, parentes, patria, libertas, salus
Servantur et prognati: VIRTVS omnia
In se habet; adsunt bona omnia, cui virtus adest.
  Interea fidei coniugalis foedera
Et intemeratae mentis castimoniam
Pro viribus asservabo constantissume,
Nec ulla me dies aut aetas serior
Pudoris transiliisse septa redarguet.
Mors me prius truculenta aut fulmen igneum
Averruncatam terra ad umbras Tartari
Imosque manes adigat, Cocyti lacus,
Domos Stygis, picea densas caligine,
Aut terra me dehiscens ima absorbeat,
Ingenuae quam violem iura verecundiae.
Haec dos enim matronis est pulcerrima,
Pudica vita, aliena a turpitudine.
Et de qua Fama mendax ficta spargere

Veretur, ista demum casta vere dicitur.
   Sed o puellae, cum quibus solarier
Interea taedia temporis datur mihi:
Dum tenera molles versant vellera digiti,
Pensumque fusis ducitur volublibus,
Aut dum rudi lanae Palladiis artibus
Telaeve acusve subsidiis inscribimus
Res maxumas patrumque facta fortia,
Vos o sorores, quantum iam fieri id potest,
Omnes moras praecidite, maturate opus.
Nostrae est lucernae mittendum specimen viro
Et amoris identidem documentum perpetis.
Ades, Minerva, inventrix lanificae et parens
Artis, tuo auspicio mihi surgat hoc opus.
Tu fac, Gabinia, tela iuncta stet iugo,
Tu licia adde, Sabella, tu Caereliae
Radios labore vicissatim subtegmine,
Marcella, exercitio confertos porrige.
Lydia et Camilla, vos succinctae vestibus
Operumque gnara movete celeres brachia.
Lycori, filorum aureorum complica
Orbes. coloramenti omniiugi, Coelia,
Hapsos ministra Seri et muricis glomos,
Cortina quos Tyria et quos coccus imbuit.
   Accingor operi Romulique originem
Remique tela deduco incunabula:
Vt virgo Vestae sacra, sacerdos Ilia
Mavorte faeta geminos partu enixa sit;
Vt alveolo impositos Faustulus, volens
In profluentem iussus amnem immergere,
Ripam penes rapido spumantem gurgite
Deposuerit; et ut fluminis inundatio
Stagnantis allevatos leniter in locum
(Diis sic volentibus) mollem devexerit;
Vt iisdem alendis adfuerit praesto lupa
Et vagientibus ultro admorit ubera.
Vtque extruendae Vrbis tandem susceperint
Rationem, in ipso, quo nutriti erant loco,
ROMAEque prima iecerint fundamina.
Vt Romulus iam dedito neci Remo
Rerum potitus, multitudinem popli
In legiones peditum et equitum distribuerit,
Tum civium de centum praestantissumis
Patriciorum pronunciaverit ordinem
Senatorumque legerit collegium.
Sic opus expediatur perfectum ocyssume.

Nunc adlubet cantu voces inflectere
Dulcique laborem fallere carminis sono.

Puellae in Gynaeceo Lucretiae

Puell. 1. Cum Romulus videret
Ad auspicata ROMAE
Cunabla structa passim
Vrbem incolis refertam,
Nec coniuges adesse
Suae cuique sortis
Nec compares laborum;

2. Et advenas egenos
Ignobili et loco ortos,
Hinc inde congregatos,
Despectui futuros,
Nec in sodalitate
Posse usque commorari,
Si foeminis carerent:

3. Spectacla Consi ad aram
Solemniterque ludos
Sacrum ferens celebrat
Divis honore multo.
Quo convocata sese
Vicina plebs recepit
Vrbisque multitudo.

4. Coniunctionis huncce
Excogitavit astum:
Nam dum videndi amore
Forte ad sacros honores
Adsisterent puellae,
Quas undiquaque missas
Sabina gens crearat,

5. Mox impetu vibratis
Mucronibus ruebant
Et ad suos trahebant
Romae incolae, penates
Novo sibi iugantes
Connubio torique
Sic foedus hoc inibant.

6. Hinc pugna saeva surgit:
Cohors Sabina gnatas
Armis et ense poscit

Romamque vi lacescit.
Hic Romulus cruentus
Saxo caput feritur;
Romana turma cedit.

7. Rex non tamen labascens
Mox praelium integravit:
Sabina gens fugatur
Spectaculo cruento.
Raptae recens maritae,
Divinitus repente
Furore concitatae,

8. Hinc inde et inde, se per
Demortuum inferebant
Parentium et maritum
Cadavera, ense caesum;
Mox incolasque ROMAE
Viros superstitesque
Blando sono vocabant.

9. Harum obsecratione
Blandissumaque voce
Mentes utrinque fractae
Et praelium diremtum.
Proinde foedus ictum
Et constituta pax est
Concordiaeque leges.

10. Tali modo Vrbs adaucta est
Et duplicata cive:
Dum pars datur Sabinis,
Pars incolis colenda,
Aequale ius habebant
Sub Romulo Quirites,
Sub Tatio Sabini.

<Collatinus, Lucretia,
Sextus Tarquinius, Aruns, Titus, Tarquinius, Cincinnatus>

Coll. Lucretiam Collatinus laetus suam
Speratam uxorem salvere iubet plurimum.
Quam mulieres Romanas inter optumam
Diiudicat maritus unam esse omnium,
Quamque adeo omnes Romani rumificant probam:
Valuistin' usque? expectatusne adventito?

Luc. Quid hoc mihi repente oboritur gaudii?
O mi marite, lux, salus, sidus meum,
Meum unicum, quo perfruor solatium.
Salvus sies, exoptatissumus advenis,
Quamvis opinanti haud mihi tale quidpiam.
Et vos simul viri et iuvenes fortissumi,
Salute vestra laetatur Lucretia.
Sex. Salvam videre te voluptati est mihi
Pol maxumae. Diis precor favitoribus,
Salus tua ut perennet, mulierum o decus:
Tuum unice nomen Quirites praedicent.
Aru. Tibi hospites nos esse gratos gaudeo.
Tit. Omnia tibi prospera precor, Lucretia.
Tar. Quam milites salutem ex castris adferunt,
Illa te impertio salvamque esse iubeo.
Cin. Opto tibi evenire cuncta prospere.
Luc. Siccine tam optata vobis contigit ocyus
Victoria de praedomitis Ardeatibus?
Coll. Nondum hactenus quidem, Lucretia, licuit
Aperto Marte cum hostibus confligere.
Sed spes me habet, modo si haec enunciata sint
Tarquinio Regi ab his, qui in mandatis habent,
Severitate in hostes quin gravissuma
Sit adversurus et nostris cohortibus
Diripiendae facturus copiam Ardeae,
Vt nonmodo omnem amittat succum et sanguinem,
Sed et colorem ac speciem penitus pristinam.
Luc. Faxint Dii patriae indigetes, quos toties prece
Tensis ad coelum manibus imploravimus:
Quiescant bella, quis nunquam ulla inest salus;
Vos pacis omnes secla poscimus aurea.
Coll. Omitte, coniux, isthaec; non sibi tempus hoc
Has iam querimonias aut sollicitudines
Poscit. aliud est, quod te suscipere condecet
Et cogitare, adducti ut comiter hospites
Excipiantur dapibusque curentur probe.
Tu vina da, puer: nox haec multo mero
Acta abeat, Oceano dum prona sidera
Condantur et diem Solis revehant equi.
Luc. Mea quod opera aut pote cura effectum dari,
Non flagitare opus aut desiderarier;
Marite mi, procurabo omnia sedulo.

## Actus tertius

Nuncius, <Chorus>

Nun. Quam anhelus huc, amicae, nunc cucurrerim
Velociter nimium, citum movens gradum,
Referre non est animus: quippe per vias
Haec tanta contigere mi pericula,
Quorum meminisse horret perterrefacta mens.
Cho. Quid est, quod anxium tantopere te facit?
Nun. Res horridae visuque detestabiles
Vsu mihi venere, dum hoc confeci iter.
Cho. Quaenam illa formido animum perculsit tibi?
Nun. Sanguis coit circum gelidus praecordia,
Vix mussito, cor totum palpitat metu,
Horrore multo surrectae rigent comae.
Cho. Potin' eloquare, quidnam hoc sit discriminum?
Nun. Et si nihil volupe adferam, referam tamen.
Cho. Perge, obsecro.
Nun. primum omnium id de me affero:
Me nec pericla tergiversatum omnia,
Quiscunque me circum videbam volvier,
Cum protinus hinc abiens castris excederem,
Vt hoc referrem Sexto Romam nuntii;
Sed et nec ipsam mortis inclementiam,
Quam modo mihi obversari ante oculos videram.
Cho. Tace sis: de tua nihil est dubii fide.
Nun. Inauspicato castris extuli pedem.
Cho. Eveniat hostibus hoc, diri est quod ominis.
Nun. Metuo Tarquinium, ut expiare possiet,
Qui se vel patriam praecipitaturus est
Magnum in malum et discrimen intolerabile.
Cho. Dii patriam servent. at Tarquinium furor
Cum stirpe tota et familia pessum duit.
Nun. Solin' sumus? circumspice, num quis adsiet,
Sermonem nostrum qui aucupet?
Cho. tutum probe est.
Nun. At diligenter etiam nunc circumspice.
Cho. Nemo adstat. obsecro hercle, quin eloquere iam.
Nun. Ne dicta forsit' nostra ad Regem eliminent.
Cho. Licet profarier.
Nun. o supreme Iuppiter
Et tu Quirine, sancta Romulidum parens,

Tu Vesta mater, omen hoc avertite.
Date patriae meliora et haec in familiam
Caputque Regis dira crudelissumi.
Cho. Gravaminum satis superque vidimus.
Infracta legum est optumarum auctoritas,
Mores et instituta subversa omnia,
Iura abrogata, abactae consuetudines
Decusque in Vrbe disciplinae patriae,
Qua pristini Reges ROMAM exornaverant.
Regem tyrannum agere, querela est publica.
Nun. Dum nocte sera ad Vrbem molior viam,
Vix liberatus insidiis, quas plurimas
Emissi ab hostibus exploratores parant,
Iam nil ratus restare periculi amplius;
Mihi derepente multiiugum sonus pedum
Visus per umbram ad aures obversarier,
Propiusque adesse numerus ingens hostium
Cuniculis egressum subterraneis.
Cho. Stupenda profers.
Nun. hi postquam facto agmine
(Nam separatim excesserant foramine)
Arctum glomerati in orbem se concluserant,
Oculis duos vestigatum emissititiis
Mittunt ad exploratores isthuc loci;
Ipsi interim omnem aditum obiecti custodiunt.
Abscedo paullulum noctisque adminiculo
Dumeta sub latebrosa condor abditus
Et fraude sciscitatorum me surpio,
Instantis a leti liber discrimine.
Bis hic equites praemissi me praetervolant,
Iam certiorati exploratorum fide,
Tarquinium ad Vrbem, celeri cursu equum
Satellitio iuvenum comitante regium,
Castris abisse; adesse nuperis pedum
Impressa pulveri notis vestigia.
Hinc colligens, hanc intentari fabricam
Nefasque Tarquinio et sociis comitantibus,
Rapidis volans ad Vrbem tendo passibus,
Hoc ut pericli mature praenunciem.
Et iam viam emensus fere omnem evaseram
Portis propinquus ipsis, subiens moenibus:
Hic maius actutum et magis trepidabile
Obiicitur augurium oculis et auribus.
Nam bubo, dirum volgo omen mortalibus,
Strepitu insolenti gemituque execrabili
Supra domos et culta Diis sacraria

Librare se remigio alarum praepete
Tandemque regiae tectis insidere
Et horrido ostentum portendere carmine,
Ad instar in fletum voces ducentium.
Nec non canum passim, per Vrbis compita
Latratus atrae noctis in silentio,
Perinde ut eiulantium suspiria
Et noctuarum ululatus detestabiles
Audiri; et e latebris voces sonantium
Regemque nomine ipsum compellantium.
Quae res mihi haud suis carere eventibus
Videntur et Regi ominis aliquid mali
Clademque stirpi regiae portendere.
In vana praevidere fuerunt augures.
Cho. Horrenda narras, quae me exanimant quoque metu.
Nun. Est, est profecto, cur sperare haud ausiem
Bene, cuicunque sane eveniat hoc mali.
Cho. Dii coelites, sub quorum est ROMA Numine,
Si nobile imperium hoc conservatum volunt
Mavortiamque Romam orbis fieri caput,
Hunc casum ab Vrbe averruncabunt praecipem.
Sin Regis est nobis etiam crudelitas
Vna luenda, penitus omnes periimus.
Nun. Vnius iniusti saepe Vrbs integra viri
Flagitiorum est rea et poenarum particeps.
Cho. Sed iam recordor etiam animo volvens meo,
Quod vere contigit prodigium nupero.
Nun. Quod istud, obsecro?
Cho. dicam, percipere si velis.
Nun. Desidero, quid siet.
Cho. memorabile maxime.
Aquilae duae in locum adiacentem regiae
Nidum sibi ore et unguibus construxerant,
Palmae super procerae summo vertice.
Hae forte, pabula allaturae ut evolant,
Pullos adhuc nido implumes ibi deserunt.
Ecce advolantes conferto agmine vultures
De industria disturbarunt nidi struem
Foetusque lancinarunt immanissume.
Ipsas deinceps aquilas a pastu domum
Revenientes nota ad cubilia arboris
Rostris aduncis impetiere hostiliter
Alisque strepentes et ferientes protinus
A nido abegerunt palmaeque frondibus.
Nun. Quod diligenter caveat, hoc Rex fatum habet.
Nec fallor, an divinitus haec evenerint?

Quippe cui irati et infensi omnes coelites,
Haec signa vindictae praesaga nuncient,
Quique ob superbiam ac feritatem barbaram
Et obstinatam animi tyrannidem
Hominum in se concitaverit odia omnium.
Cho. Quid Sextus ergo? num retulisti haec omina?
Nun. Ne vero ita demens sim, qui talia proferam,
Nisi plectier aut multari crudelissume
Optaverim tam horrendi nuntii praemium.
Nam nemo nuntia adferrentem amat mala.
Atqui nec ipsum in regia Sextum domo
Adire Romae licuit aut offendere.
Cho. Quibus ista praepeditus ais obstaculis?
Nun. Omnes simul Collatiam contenderant.
Cho. Proh summe Iuppiter, quae tandem finis est
Conviviorum aut tantae luxuriae modus?
Hoc laude cluere et fortitudine bellica est;
Siccine lacessere hostem ad bella convenit?
Immo dapes lautissumas deposcere
Palati ad arma, ad saeva dentes praelia
Acuere, Bacchum pro Marte venerarier
Cererique sacra ferre pro Tritonia,
Instruere patinarum aciem, paterarum ordinem,
Aptare pro lorica foricam et tesserae
Pro militari dare operam lusoriae
Veruque pro veruto, galeis ganeas,
Pro lancea lances et pocula spiculis
Versare dextra et rigidis ansas pro ensibus.
Nonne obsonatum fuerat in castris satis,
An non de artua tum regiarum opum?
Sed quid ego opum aio regiarum? subditum
Et exsulum gazae fundi, peculia
Extorta crebris expilationibus.
Nun. Iam mox redibunt inde, ad castra vecti equum
Veloce cursu; sic enim receperant.
Ac Sextus haec me ex sessimonio statim
Relatum misit huc ad castra cohortibus.
Cho. Sed heus tu.
Nun. ne me retine.
Cho. audi verbum unicum.
Quae causa, quaeso, abeundi ex castris impulit?
Periculoso tam rerum omnium statu?
Nun. De uxoribus certamen accensum incidit,
Suam laudare quisque mirificis modis,
Suam praestare quisque asseruit omnibus,
Victoriae certo deposito pignore.

Cho. Quis ergo victor exstitit certaminis?
Nun. Muliebris laus certaminis Lucretiam penes fuit.
Cho. Ita me Dii ament, ut hanc lubens
Lucretiae felicitatem gratulor.
Namque omnium Romanarum, quot uspiam
Vrbs a fundatione prima protulit,
Mulierum laude virtutum est celeberrima
Formaeque decore et praestantissuma moribus.
Nun. Ita est. namque illam haudquaquam ut regias nurus,
Convivio quas et luxu cum aequalibus
Lasciviisque terentes tempus viderant,
Sed nocte sera lanae deditam et colo
Puellarum inter lucubrantium gregem
Sedentem invenerunt mediis in aedibus.
Cho. Deum immortalem! quanta haec est felicitas
Vxore tot animi praeclara dotibus
Ditarier. haec dos est pulcerruma omnium
Matronis, vita pudica et mores integri.
Cum hac vitam agere, Deorum est vitam vivere.
Sed quid maritus victor?
Nun. liberaliter
Satis ac benigne magnificeque et comiter
Excipere Tarquinios iuvenesque regios.
Postquam fames pulsa epulis, ludis pectora
Iuvenilibus recreari, suaviter ioci
Miscerier, grandes scyphi evacuarier,
Omnia laetitiis complerier et omnia,
Quae ad hilaritatem faciunt, attentarier.
Sed hem: quid est, pulsu pedum quod excita tellus tremit?
Cho. Redeuntes ad castra autumo.
Nun. Sic est. latebrae quaerendae protinus mihi,
Ne quispiam ex istis me suspicetur hic
Convivii huius exstitisse Tantalum.
Cho. Mihi transeuntes hic placet operirier.

## Sextus Tarquinius

Sex. Age, mi sonipes, ferocule, tolutarie,
Sic semper incedens mecum pompatice,
Spectantium in te oculos assuesce vortere:
Spadiceo colore, cervice ardua,
Arguto capite, alvo spectabilis brevi
Tergoque obeso et animoso acer pectore,
Toris luxurians et densa nitens iuba.
Sic, sic soldo excitam cornu ungula quatiat

Terram cavans: sic, sic spatio mecum brevi
Dextrum glomerare in orbem te revolvito;
Sic pedibus attollens te, auras diverbera.
  Ornatiorem haud credo inter Memnonis equos
Vllum fuisse, quos ad Troiam duxerat.
Quorum hi quidem ad Lacaenae illicita incendia
Tyndaridis vindicanda missi venerant.
Sed tu mihi ad potiundum amorem inservies
Lucretiae: cuius causa victus modo
Muliebris amisi palmam certaminis;
Cuius adeo me decus et formae gratia
Nec non venustatis, qua praestat omnibus,
Vinctum tenet: lepor et spectata castitas
Et suavium incitat morum elegantia,
Vt vita mihi et salus ab una hac pendeat.
  Ades, serve, ocyus; fraenis equum expedi,
Remove ostrum et aurea pectori monilia,
Repone phaleras et suo frontalia
Loco reserva et hora praesto quaque sis,
Vt pabulo saginetur lectissumo.
  Haec forma somni plane usum abstulit mihi.
O Cypris, o Cupido puer atrocissume,
Quid me igne, quid sagittis exanimas tuis?
Quid antehac essetis, nescius fui;
Nunc iusto amoris spicula sentio acrius.
Ah, ah Lucretia, suavium, salus mea,
Mea vita, spes mea, cor meum, mea gaudia!
Quid regius mihi honos, quid stemma regium,
Amor si me facit servum Lucretiae?
O hera, tuum liceat servum me dicier.
O utinam transformarer in passerculum,
Cito ut volatu ad aedes pervolem tuas
Rimisque transeam penetrale cubiculi.
  Ah differor aestu amoris intolerabilis.
Me miserum, o vanum et omnium stultissumum:
Cur non amoris hac mihi nocte gaudia
Tentare libuit? cur abivi perditus?
Sat tuta forsit’ esse poterant omnia?
Patere nostris campus sat liber iocis,
Amplexibus locus et tempus tutissumum?
  Quam facile Collatinus poterat ebrius
Vno vel altero cyatho sepelirier?
Hei, quis Deorum mentem confusam mihi
Aut quae male amica surripuerunt Numina?
  Vae, vae meae saluti, vae vitae meae,
Si non brevissumo quoque tempore potiar

Amore foeminae huius, quas humus fovet,
Egregiae maxume omnium et pulcerrumae.
   O Diva, non humano creta sanguine!
O frons decora, spatiis alta decentibus,
Quam nulla ruga, nulla labes inficit,
Flavae comae, aureis persimiles laminis;
Lunata supercilii umbra in arcum tenditur,
Paucis pilis nigrisque spatio debito
Discriminata; oculi radiis Hyperionis
Astri micantiores, intuentibus
Fulgore acuto hebetudinem quae inducerent.
His tu me et occidere vivum, Lucretia,
Et mortuum in vitam potes reducere.
O pulcra nasi, ceu filum, discrimina,
Roseas genas aequaliter dimetiens,
Quas risu amabiliores exprimunt sinus,
Quos parte utraque mala efformat lactea.
O os decens roseumque, o labra corallini
Coloris, osculis et morsu aptissuma,
Dentesque parvuli et digesti in ordinem
Nitore eburneo aut potius cristallino;
Tum lingua tremula, non sermonem, non sonos,
Sed harmoniam edens et suavissumum melos.
Aut quid ego mentis speciem aut candorem gulae
Dicam? nihil illo in corpore non laudabile.
Structura corporis exterioris, intimae
Symmetriam mentis docet augustissumam:
Quot gratiae, quot in ore eius facetiae!
   Non Helena, credo, Graia venustior fuit,
Qua Menelaus die excepit convivio
Pastorem Phrygium, nec cum magnanimi Hectoris
Sacris Andromache initianda foret nuptiis.
   Ah enecor, quoties imago animum haec subit:
Vsque adeo inhaerent fixi vultus pectore.
Videor mori semper, numquam tamen mori.
Sed quid ego cesso? vitae iam deinceps meae
Potius quam famae consulendum censeo,
Quam stemmati, quam regii honori sanguinis.
Stat aggredi vias omnes, pericula
Tentare quaevis, omnem volvere lapidem.
Ecquid quod aliis licuit, hoc etiam mihi
Licere dubitem? quod Diis, quod Regibus?
Diis aequa semper est potestas regia.
   Audendo fortunam libet experirier;
Audendo namque Gabios nuper cepimus,
Nacti dolis potestatem et praestigiis.

Ibo; hacque nocte insomnis aliquam fabricam
Excogitabo, astute artem aliquam machinans
Interioris promtam recessibus animi,
Amoris haec ut vis fatiarier queat.

## Chorus

Cho. Regina Cypris, aureo
Quae mittis arcu spicula
Amoris uncta nectare,
Non aedibus divertere
Cum puero sueta es humilibus.
Sed divitum tantum lubet tibi domos invisere,
Rebus secundis qui affluunt
Et ocio, ac libidine
Luxuque crebro diffluunt.
Idcirco pauperum casas
Inhabitat humiles castitas,
Quae modica se cohibet domo.
Et sola paupertas sacrum
Virtutis excolit decus
Sanosque motus efficit.
Hic grata temperantia
Nec non vigor modestiae
Suo tenentur limite,
Quem transilire nesciunt.
Luxus ubi sed turpia
Impune regnant crimina
Et apparatus regii
Et crebra commessatio,
Virtus hic exulat et pudor;
Et occupatum largiter
Laudis cor apparatibus
Flammas fovet libidinum
Escamque vitiis porrigit:
Irae, furori, audaciae,
Ferociae, procaciae.
Et delicatulas domos
Magnosque penates eligit
Et eminendi copiam
Ac sumtuum praestantiam
Libido fortunae comes.
Hinc longa luctuum ilias,
Risus breves et gaudia in-
terrupta, permagni metus.

Tandemque morte tollitur
Plane ignominiosa malum.
   Tu Sexte Tarquini, patris
Fili insolentis insolens
Superbiae et tyrannidis
Inuste iam pridem nota:
Non te adeo caecum agat furor,
Torum ut peregrinum irruas.
Flammas nefandas pectore
Exstingue nec dementiae
Incendia dira ventilans
Locum tuae concedito.
   Quin si sapis modestia
Donoque continentiae,
Furorem et ignem discute;
Fuge ocium et convivia.
Vitabis arcus Cyprios,
Si te genusque regium
Infame non cupis tuum,
Si regiis avertere
Penatibus vis dedecus
Et interitum stirpis tuae.
   Iam fata dudum coelitum,
Si perpetraris hoc nefas
Iramque cumularis Deum,
Tibi tuoque stemmati
Vno ore dira concinnunt.
   Socii Tarquinii, pubes Martia,
Nobile prisci germen Romuli,
Quantis versat fluctibus animi
Lucretiani cura nos laris!

Miles, <Chorus>

Mil. Quorsum mulier hoc nos clamore concitas,
Dum placidus omnes mulcet in castris sopor?
Effare, et id quidem sodes compendio;
Aut apage sis voce effraenata isthac tua.
Cho. Dictu profabor ardua:
Audite placati obsecro.
Vis me timoris eo redegit, ut solo
Coeloque venturum evomere hoc cogar malum.
Mil. Quid istud est? quin tandem potis es eloqui?
Cho. En, Sextus atrox Regis filius,
Animis ferox et amoris aestuans

Incendiis, ignominiam parat
Casto et nefas toro Lucretiae.
Mil. Quibus ista freta documentis refers?
Cho. Modo per umbras ipse amorem fassus est
Nocti querens, Tarquinius aeger, perditus
Furores oestro fervens implacabilis.
Quam vereor Vrbi, ne grande accersat malum,
Si crimen hoc ex voto perpetraverit.
Neque enim suam infamem Collatinus feret
Fieri domum nec secum habitare adulteram;
Tum genitor hoc inultum non sinet scelus
Nec tota cognatorum turba nobilis.
Mil. Quin tu quiesce et obrue haec silentio?
Fortasse Sextus, Cereris et Bacchi satur,
Evanida haec in auras dicta effutiit.
Nam qui pudor Lucretiae est et castitas
Integritasque vitae spectatissuma
Virique virtus et familiae gloria,
Facile huic furori statuent remedium.
Sed tu cave, quantum potes, ne eliminet
Hic sermo. nam nimium vos estis garrulae
Et credulae timore vano mulieres.
Cho. Infelix ego, iacturam diri nuncii
Quod audiens modo detego, geminam fero:
Hinc vanitatis, hinc timoris arguor.
O quis Deorum praemonet Lucretiam
Et insidias ei paratas nunciat?
Si qua malum vitare queat sollertia.
Mil. Iam tempus esse manipulares arbitror
Animum defectioni tandem appellere
Et a stativis his furtim desciscere,
Id quod diu inter nos consultatum fuit.
Namque Ardeates quod tam strenue hactenus
Nostris se opposuerunt molitionibus
Et restitere incursionibus acriter,
Tum etiam quod Ardea Italicarum est omnium
Vrbs florentissuma et fortunatissuma,
Opibus abundans et munitionibus
Instructa copiose et rebus omnibus,
Quibus ad ferendam belli molem hanc est opus,
Videtur obsidio iusto diuturnior
Fore in dies, dum protelatur improbe
Tempus, nefandis adeo (proh scelus) modis.
Quod si fixum animo penitus Regi insideret
Aut subiugare aut aequare Ardeam solo,
Maioribus pridem instituisset molibus.

Sed dum domandi quamcunque aggreditur viam,
Nec tecta diruere nec hostes perdere,
Sed irrogare vivis multam cogitat:
Ipsi in dies se auxiliis confirmant novis.
Tantas moras animo quis aequo possiet
Ferre amplius? quod si libertas, si salus,
Si patria, si nati curae, si coniuges,
Agite, defectionem animis praesumite.
Nos Rex egenos, opibus haustos omnibus
Laboribus satis superque exercuit
Servilibus iuxtaque militaribus.
Quippe et qui in Vrbe Roma cives victitant,
Conferre quod pecunias non amplius
Queant, iisdem una cupiunt suffragiis,
Defectionis ut quod fiat initium.

## Actus quartus

Sextus Taquinius

Sex. Miris modis Dii ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt:
Velut ego nocte hac, quae praeteriit proxuma,
Insomnis egi satis et fui homo exercitus.
Nam dum novo querelis more indulgeo,
Amore saucius novo, aestu perditus
Aurisque curas et tenebris credo meas;
Dum pectori atque cordi facit incendium
Ignis meus, quam vidi heri, Lucretia,
Fatigari diurnis mi laboribus
Occepit cerebrum et mox gravata ceu omnia
Concidere membra, sensum et omnem amittere et
Defessa motum; hinc Somnus suaviter ingruens
Ramum super quassare tempora utraque
Soporatum Hyblaei mellis dulcedine.
Vix dum cubito innixus, primos cio anhelitus,
Adstare visa coram oculis Lucretia,
Vestita leni ostentans sese tegmine,
Quo nulla non perspicua linea corporis:
Facie alacri, laeto oris intuitu, genis,
Ceu lilia splendent mixta purpureis rosis;
Candor gulae nivalis, oculi ceu iubar
Solis micantes, radiis perstringentibus;
Risus decens, omnis plenus modestiae
Et suavitatis, amplum pectus et quasi
Protuberantes mala papillae punica
Latere ex utroque premi et palpari aptissumae.
Tum propior adstans, vellicare leniter
Digitis eburneis dextram auriculam mihi
Et utrasque demulcere utraque genas manu
Plausuque pruritum excitare melleum
Frontemque ter mediam dissuaviarier;
Dehinc hisce compellare me ultro vocibus:
‘Quid mellis o favum, quid deliciae meae,
Quid o dulcedo incomparabilis mea,
Beatitudo mea, o felicitas mea?
Quid te miser miseris tantum excrucias modis?
Nec vitae opem fers nec saluti consulis tuae?
Adsum tui, Lucretia, amoris remedium.

Ecquid times? quid cunctaris? Lucretiam,
Ah anime mi, cur me non mediam amplecteris?
Liber patet nostris campus sermonibus,
Probeque sat tuta omnia et isthaec oscula
Dulcesque amplexus gratis obveniunt tibi.
Noli vereri, quin has ulnas irrue
Fructumque amoris et solatia percipe.'
  His excitus de somno dictis protinus
Veram puto memet videre imaginem
Veramque coram audire vocem mulieris.
Ter conor huic collo dare circum brachia;
Ter frustra imago comprensa effugit manus,
Auris volucribus ventoque similluma.
Hei, hei mihi, quas nunc ore querelas flebili
Fundam; hei miser, quid agam quave insistam via?
  Isthuccine est operam dare frugi foeminam
Me miserum imaginibus falsis deludere?
  Te, te dies noctesque amo, te desidero;
Te, te voco, Lucretia, de te cogito;
Te expecto teque spero, de te oblecto me.
Homo miser, nusquam queo quiescere:
Animus, domi si sum, foris is semper est;
Rursum si sum foris, animus tuae est domi.
Me sola potes servare, sola perdere:
Adeo cupiditas tui urget me atque amor.
Ah anima mea vitaeque subsidium meae,
Mei diadema regni et unicum decus.
  Quod si mihi sanitatis esset aliqua pars
Relicta, sponte etiam vellem sanarier.
Sed nec voluntas sanitatem ullam adpetit,
Nec tot cor ustum facibus valet admittere.
  Quod ergo periculosa in aegritudine
Medici adsolent periti, ut anceps adhibeant
Medicamen et ultima potius experirier
Velint, quam sine cura morbum relinquere:
Ita et ego quaeque audenda extrema censeo.
Aut hodie amore perfruar Lucretiae
Aut morte certa restinguam hoc incendium.
  Tu Aurora, quae novo iam terras lumine
Spargis, iubar Solis tu lucidissumum:
Videte, quaeso, me, videte, qualis est
Siccus ager, igne qui admisso comburitur:
Cui si frequentibus instant Cori flatibus,
Flammescit altius; sic in me amor aestuat,
Mentem eripit, sensum hebetat, exstinguit animum.
  Quid ergo statuam esse ominis hoc ex somnio?

Aut ubi tandem coniectorem inveniam aliquem,
Qui blanda rite pandat haec insomnia,
Vtrum mihi triste aut laetum aliquid denuncient?
Vtrum Dii promittant iram aut gratiam?
Nam saepe sortiri eventus contrarios
Ac laeta compertum est portendere tristia
Rursumque tristia praesagire somnia
Felicia observatum est et laetissuma,
Pro ut Deum vult inclementia aut favor.
   Sed quid mihi cum ira Deorum aut gratia?
Non ulla Numina expavesco coelitum.
Namque unicos colo Deorum maxumos,
Bacchum et Cyprin; Deos non curo caeteros.
   Stat ergo sequi, quo regnum amoris incitat,
Quo furor et aestus quo vocat libidinis.
Nam qui minas coeli et rabiem irati maris
Adversus nititur, atris saepe fluctibus
Immergitur pontoque oberrat naufragus;
Sed qui procellarum paret violentiae,
Minore fugit tempestatem discrimine.
Sic postquam amor meis inhaesit ossibus
Totasque medullas est populans crudeliter,
Nil est consultius ac furori cedere.
   Heus Sosia, protinus equum frenis impedi
Et ocyus huc adduce; tuque mecum iter
Ingredere solus. nam mihi diligentia
Tua et taciturnitas fidesque cognita est,
Quas esse semper in te intellexi sitas.

## Chorus

Cho. Illhic hinc abiit. proh coelum, proh sidera!
Quam fato iniquo in terris vivunt mulieres
Multoque duriore miserae quam viri.
Deformi foemina nil est despectius;
Sin est formosa: vah quot forma deperit.
Hinc insidiae, doli, astus, mille machinae;
Nimium negotii est, qui formosam habet, viro.
Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus,
Felicem mulierem, dum vivit, esse bis,
Semel in thalamo atque iterum in tumulo semel.
   Sed hoc quid autem? quae facies hominis haec?
Quid personatus hic sibi inter arma vult?
Satin' esse sanum aut proditorem quempiam
Esse hunc rear, qui huc exploratum accesserit?

## Lucius Iunius Brutus, <Chorus>

Bru. O Sors Dea, quae celeri rotatu volveris;
Vos o vices rerum et fatum immutabile:
Ecquando dies erit, ut animi ex sententia
Occasionem nactus, ulciscar probe
A Rege mihi toties illatam iniuriam?
Qui me patre, qui germano ...
Cho. loquitur anxie.
Bru. Qui me omnibus paternis spoliavit bonis.
Cho. Haud dicta stultitiam produnt, quam vestis haec.
Bru. Ecquando erit, Romanorum ut me principem
Summum salutet patria, quem Dii destinant?
Quando dabunt fata hanc formam imperii et statum
Mutarier ex oraculi sententia?
Cho. Quam hic sibi mutationem regni somniat?
Aut fata quaenam oracli arcana nunciat?
Bru. Vt liberi nefaria tyrannide
Tandem incoemus Vrbis popularem statum?
Cho. Vt mihi videtur hic optata proloqui.
Bru. Pro ut cecinit nobis Apollo Delphicus.
Cho. Profecto ni habitus esse stultum hunc arguat,
Ex tripode Phoebi vera profari creduim.
Bru. Nimirum cupide praestolor ego tempus id,
Fatalis haec quo periodus circumacta sit.
Cho. Expecto, quorsum vergat haec oratio.
Bru. Nam terminum Rex fatalem imperii attigit.
Cho. Hem, fallor? an Regem esse mortuum innuit?
Pari modo cum caeteris, quorum fere
Nemo ad generum Cereris sine caede et sanguine
Et morte tranquilla potuit descendere.
Bru. Tempus tibi erit Rex, cum magno emtum optaveris
Intactos tot viros probos measque opes;
Et cum spolia haec ortusque tui diem oderis.
Cho. Ecquid de Rege queritur inclementius?
Bru. Haud parvo te constabit haec crudelitas.
Cho. Num dira Tarquinio Superbo haec occinit?
Bru. Quem facta atrocia poenis atrocissumis
Reservant.
Cho. huncne aliquem vatem missum Iove
Rear? qui fata praesago ore nunciet?
Adeo querelas populi novit publicas
Et imprecationes nostrum in Regem civium.
Accedam et alloquar virum: nam hoc sub habitu
Fatuo latere videtur quid sapientiae.

Bru. Proviso iam, quid in castris rerum gerat
Collatinus, apud hunc praestolari libet
Et diligenter observare hic omnium
Eventa rerum; augurium Dii, rogo, prosperent.
Namque auspicatum hodie omen audivi auribus
Et hisce vidi oculis.
Cho. auscultabo prius.
Bru. Nam corvus dexter, et quidem ab ortiva plaga
Radens humum, clara voce occinuit mihi,
Certam felicitatem aliquam praenuncians.
Cho. Vah quam lubens procederem homini huic obviam,
Ni verear, ne alio orationis sors suae
Cursum deflexerit. sed quid? num abiturus est?
Ecastor. revocandus clamore est protinus.
Heus, heus mi homo!
Bru. quis me vocat?
Cho. paucis opus
Te mihi convento, mi vir; quisquis es, parum resiste.
Bru. Quid me vis?
Cho. ex dictis modo tuis
Haudquaquam eam, quam repraesentas vestibus
Stultitiam, sed quid Diae intelligentiae
Multumque veri percepi praesagii.
Quapropter oro, ne mihi succenseas,
Audacius si forte et impudentius
De nomine et rebus tuis quaesivero.
Bru. An tu audivisti sermones, mulier, meos?
Cho. Lubens hercle audivi usque a principio omnia.
Bru. Disperii.
Cho. noli propterea percellier
Metu aut timore aliquo vano turbarier.
Nam plane idem, quod tu modo conquestus es,
Crudelitati ipsius imprecata sum.
Bru. An tu me ludis an mi imponis, foemina?
Cho. Non per Quirinum Maxumum Ter Optumum,
Quin ergo nomen intrepide effers tuum?
Et cur alieno utare ab ingenio habitu?
Bru. Dicam quidem. sed da mihi, mulier, fidem
Nulli prius te dicturam mortalium,
Quam res loquatur ipsa et opportunitas.
Cho. Age, spondeo.
Bru. at sincere.
Cho. immo sanctissume.
Bru. Ego sum, si nescis, Lucius ille Iunius
Brutus cognomine, patre Marco Iunio
Oriundus, Aeneae quodam socio Phrygis,

Quos secum in has oras adduxerat Ilio.
Qui propter insignem virtutis gloriam
Romanos inter nobilissumos fuit
Habitus; mater mihi Tarquinia, filia
Tarquinii Prisci, Regis laudatissumi.
Cho. Proh Dii atque vostram, homines, fidem, quid audio?
Tibine ego credam?
Bru. maxume.
Cho. tun' Iunius
Brutus?
Bru. equidem.
Cho. quem egregie informandum parens
Omnique disciplina indigena gnaviter
Dedit excolendum?
Bru. is ipse sum.
Cho. qui ad artes, quas vocant
Ingenuas, tam facile ingenium atque idoneum
Omnes habebas?
Bru. ita vere est.
Cho. sed obsecro,
Qua gratia visum est ita tibi incedere?
Aut quidnam monstri hoc versicolore alis habitu?
Nolis secundum tempora tinnientibus,
Cucullato vertice, plane ut stulti assolent?
Quod hoc genus armaturae, quam manibus geris?
Bru. Rem omnem tibi a principio nunc dicam illico.
Tarquinius caeso socero Rege Tullio
Praeter alios multos eosque viros probos
Meum quoque clandestina morte sustulit
Patrem e medio.
Cho. quid tantopere is commiserat?
Bru. Nullum quidem ob delictum quoddam, verum opes
In eius inhians et divitiarum admodum
Cupiditate adductus insatiabili,
Quas opulentae familiae et antiquissumae
Haeres congestas a maioribus sibi et
Relictas quondam acceperat.
Cho. factum impie.
Bru. Quin et cum eo quoque gnatum aetate maxumum,
In quo generosus quidam elucebat animus,
Et qui patris inultam caedem haud ferre poterat,
Crudeliter neci mactatum tradidit.
Cho. Hem Regis atrocis sceleratam iniuriam.
Bru. Ego tum adhuc iuvenis et cognatorum omnium
Ope destitutus et praesidio, ausus fui
Tentare facinus longe prudentissumum,

Mea quidem sententia, quod et probe
Successit. etenim stulti personam mihi
Libuit assumere, stultas operas exequi;
Stultique constanter habitum ab illo tempore
Nomenque retinui; hocque praestantissumum
Salutareque remedium maxume omnium
Crudelitatem adversus Regis mihi fuit
In tam multos bonos debacchantis viros.
Tarquinius etenim contemto hoc fatuo habitu
Et mente (quae revera non inerat tamen)
Spoliavit omnibus paternis me bonis.
Et exiguum pro victu quiddam suppetens,
Velut pupillum me tutoribus indigum
Apud se, in aula sustentavit regia
Suisque versari tulit cum filiis.
   Propinquis interea meis vaferrume
Sublevit os, honoris secum gratia
Me victitare, cognatus quoniam siem.
Quorum nihil minus de me factum fuit,
Sed potius ut risum moverem regiis
Iocosque et oblectamenta adolescentulis,
Sermones proferendo et res stultissumas
Agendo, more hominis mente penitus indigi.
Cho. Sapienter admodum stulta pergis via.
Bru. Sed heus nunquid memoria nuperam tenes
Pestilitatis luem?
Cho. quam, quaeso, tu innuis?
Anne id genus morbi insolens, regnante quod
Tarquinio Rege hoc in pueros et virgines
Saeviit, atrox sanatu et difficillumum,
Quam maxume autem in foeminis praegnantibus,
Quandoquidem matres ipso cum foetu illico
Passim enecabat per medias Vrbis vias.
Bru. Plane hoc volo.
Cho. quorsum ergo de isthoc quaeritas?
Bru. Mox audies.
Cho. ego hercle attendere gestio.
Bru. Non ita pridem, quando Rex filios suos
Duos, Aruntem et Titum, oraclum ad Delphicum
Isthac de peste consulturos miserat,
Nimirum ut ex ipso Deo cognosceret
Morbi causam, et quanam ratione possiet
Ab hac contagione liberarier.
Me quoque dimisit una cum adolescentibus,
Dans hunc locum illorum petitionibus,
Vt haberent, cui verbis factisque illuderent.

   Illi ergo postquam ad oraclum pervenerant
Eiusque negotii, cuius de causa eo
Missi fuerant, responsum tandem acceperant,
Donariis ibi consecratis Deo,
Sunt sciscitati curiose ab Apolline,
Quem fata Romanorum principem velint.
   Ibi me sannis valde ronchisque frequentibus
Vterque derisere, habitum ludibrio,
Quod baculum ligneum dicarim Apollini.
At ego, sciente nullo rem, ceu fistulam
Sic perforaram baculum virgamque auream
Occulueram intus et obtuleram oraculo.
   Deinceps responsi hoc illis a Deo est datum:
Eum Romae summum fore principem et caput,
Qui matri primus osculum libaverit.
Illi igitur, haud percepta mente oraculi,
Vterque matrem pariter oscularier,
Fraenis ut potiantur regni communibus.
Ego autem Apollinis sententiam probe
Intelligens, quam primum in Italiam pedem
Retuli, ceu prolapsus humum contigi osculo,
Quod mater haec communis omnium siet.
   Hanc ergo simulans personam hactenus indui,
Desiderans impense, dum fati fides
Se probet, et eventus respondeat omini.
Quod si quid unquam veri augur Apollo cecinit,
Neque nunc cortina nos eius fefellerit.
Cho. Deum fidem! nequeo mirarier satis;
Ne quid prius dicam aut posterius, sat scio.
O Brute, non iam brute, tibi ex animo precor,
Vt fata sortiantur eventum optatissumum,
Ac Roma tandem, sic Diis volentibus,
Nefariae excutiat iugum tyrannidis.
Bru. Sed a te mulier iterum atque iterum postulo,
Ne dicta nostra cuipam facias palam.
Plerumque enim mulieres omnes os habent
Nullo fraeno coercitum et ostio indigum.
Nec ulla virtus rarior est silentio,
Quod maxume tamen foemineum ornat genus.
Cho. Quod audio, non audio; quod scio, nescio.
Bru. Bona fide.
Cho.                 fidem spondeo fidissumam,
Aut me Diespiter Erebi ad umbras fulmine
Detrusam adigat, ignivomos Cocyti lacus.
Bru. Ergo vale, mulier.

Cho. et tu salvus sies.
Dii cepta coelites tua salutaribus
Secundent incrementis et successibus.

### Collatinus, <Tarquinius Egerii filius>

Coll. Proh Deum et hominum fidem, quid narras, Tarquini?
Tar. Dictum puta.
Coll. itane conspirasse militem
Sacrilegum et ad defectionem vergere?
Tar. Sic res se habet, ut nisi Rex mature obvenerit,
Actum siet de nobis et victoria.
Coll. Obsecro, quid audio?
Tar. tot sumtus regii,
Munitiones, apparatus bellici,
Magna cum nominis Romani infamia,
Instructa frustra et consilia cassa omnia.
Coll. Tantumne scelus in nostras cadere copias,
Quae sacramentis obligatae bellicis
Regi fidem iurarunt hanc et patriae?
O perfidiam, o audaciam, o quovis nefas
Dignissumum supplicio crudelissumo.
Tar. Laqueo, securi, praecipitio, flumine,
Palo, cruce, igne, furca, fustibus, rota.
Coll. Certe si in auctores Rex diligentius
Inquirat, omnes diris intereant modis.
Tar. O facinus indignum, artibus sceleratius
Sinoniis, in quod pol animadvertier
Gravius decet.
Coll. vah, quo se Sextus abstulit?
Tar. Ego hercle nescio. cum servo dicitur
Saltem unico hodie subito suscepisse iter.
Coll. Si recte ariolor, et nisi me fallit animus,
Romam ad patrem advolavit e vestigio,
Tantae perfidiae nuncium ipse ut adferat.
Est etenim in consiliis et providus et sagax,
Id quod probati Gabiis ostendunt doli.
Tar. At ego nil horum Sexto exploratum scio.
Namque Ephodus sancta confirmavit hoc
Fide mihi, testatus omnes coelites:
Hanc inter ipsos tantum adhuc promiscue
Foedifragum coniurationem militum
Auctore sine certo aut coryphaeo volvier;
Et hoc primum omnium me a se resciscere.
Coll. Quid ergo censes hoc rerum discrimine?

Tar. Matura opus nobis est providentia,
Ne latius invalescat conspiratio.
Coll. Auctoritatemne interponendam autumas
Et edicto cavendum, ne quis efferat
Castris pedem aut statione sese proruat?
Tar. Immo hercle.
Coll. sed metuo, ne sceleris conscii
Olfaciant nostra consilia et mentem ocyus
Atque ita velut praemoniti poenam malefici
Effugere et declinare furtim possient.
Idcirco potius comprimenda silentio
Haec omnia statuo, donec certissume
De auctoribus fiat palam huius fabricae,
Vt suppliciis queant dignis mactarier.
Tar. Quod consultissumum videtur, id face.
Coll. Ita me facere certissumum est et optumum,
Vt consilescant haec interea temporis,
Dum Sextus adveniens referat castris pedem.
Tar. Sane ut lubet.
Coll. nisi sors aliud quid suggeret.

## Chorus mulierum Romanarum

Cho. 1. Ocelle Roma mundi
Coelique sol Latini,
O Vrbs politiorum
Laus, urbium smaragde:
Quot sunt, fuere eruntque,
Decus, corona, sidus,
Apex supremus,
Flos aurei nitoris.

2. Quin suscitas te ipsam
Iugumque servitutis
Cervicibus nefandum
Ludibriumque sortis
Moves, retundis, arces?
Quod Regibus cruentis
Tuos penates
Duris modis fatigat.

3. Quod vota si Quirino
Coeloque nuncupasti
Penatibusque coeli,
Iovi litans supremo,
Supplex precata pacem:

Te liberam levabunt
Iniuriosa
Crudelitate Regum.

4. Io, io, o Faune,
O transpadane Faune,
Montis relinque summum
Cyllenii cacumen,
Mecum quate hic choreas.
Nunc saltitare curae est;
Apollo Dive,
Felix adesto nobis.

5. O Iuppiter supreme,
Da candidis adesse
Iugalibus secundum
Votis tot expetitum
Lucis iubar nitentis,
Quo Roma ab hacce cernat
Se servitutis
Molestia levatam.

6. Secli reflexus ordo
Tempusque cuncta velox
Profert: operta pandit
Et occulit reclusa;
Nil evenit supra spem.
Tectum fuit quod usque,
Nefas recludet
Atrociamque Regum.

Sextus Tarquinius, <Sosia>

Sex. Praecepta iam tenes in corde.
Sos. sat probe.
Sex. Vide sis, calleas.
Sos. non verbis est opus
Iam pluribus.
Sex. gladium strictum hunc et hanc facem,
Ignem deinceps hic serva reconditum.
Sos. Non aliter ac si Vesta sacrum custodiat.
Sex. Vt quoque momento mihi sint praesto omnia.
Sos. Vin’ aliquid me, Rex, amplius?
Sex. nihil nisi ut
Te vigilantem contineas noctis maxumam
Partem, hic ante ostium cubiculi mei.
Sos. Curabitur.

Sex. quod si te forte hoc angulo
Aut dormientem aut oscitantem offendero,
Non gratiam modo omnem excuties regiam,
Sed misere a me iugulatus hic prostrabere.
Sos. Ne dubita.
Sex. et ipse ero hic et Argus et vigil.
Ac si te ianitorum etiam fors quispiam
Turbaverit, gladio compesce et irrue.
Hanc esse propriam cubilis curam dic tibi.
Sos. Sollerter administrabo, Rex, omnia.
Sex. Hoc interim conclavi continebo me
Nec somnum oculis hac nocte videbo ullum meis,
Quam res mihi patrata sit ex sententia.
Tu Diva Cypris, alma hominum et Divum parens,
Quae sola gubernas rerum naturam omnium,
Tu, tu fave ceptis, consilium suggere
Et, qui hac fruar Venere optatissuma, instrue.
Nam si legaris hoc amorem mihi die,
Meque sub hac nocte sinu Lucretia foverit,
Celso in Capitolio duo statuam tibi
Templa exstrui, tibi et pulcro Cupidini:
Pario columnis lapide auroque nitentibus
Auroque in aris toti solido stabitis,
Nec ullius Dei honos erit devotior.
Quid spero? quidve metuo? si forte opprimo
Et dormientem invado, totas protinus
Clamore concitabit aedes? atque sic
Imprudens in malum me praecipitem dabo?
Brevisque voluptas haec erit longissumi
Doloris? an muneribus vincere foeminam
Liceat? AVRO placantur homines et Dii:
Amoris auro fructus omnis quaeritur.
Age, sic agam: cubiculum modo petam,
In quod recepit se cubitum Lucretia,
Strictoque gladio protinus adoriar torum.
Caedem minabor, si fors voce vel fuga
Quaerere salutem destinarit. proin duas
Has optiones refraganti ipsi offeram;
Quarum quam maluerit, concedam, ut eligat:
Aut turpem cum dedecore mortem maxumo
Aut vitam omni foelicitate praeditam.
Sic stat sententia. namque amantem condecet
Donis, dolo vique omnia experirier,
Quam a proposito cum infamia recedere.
At, at hoc, quid esse, dicam? num praenuncius
Ales diei clara cantum voce dat?

Immo hercle: en, integrat; iam num intempesta nox
Praeteriit? ecquid cesso amori operam dare?
Eia ergo age, cunctis utere simul artibus;
Consilia, quot habes, Sexte, convoca omnia:
Aggredere facinus. nunc opus constantia
Animoque forti. quae tentes, vides. cave,
Vt ne propines risui te posteris,
Te patre Rege, matre Regina satum.
Peritus ipse es, adspiravit saepius
Fortuna ceptis antehac audacibus.
Ignava quis est mens vaecordi pectore,
His nunquam amoris aequa pars cum amica erit;
Nec usque amoris fructum aut gaudia sentient.
Quid hoc, o Fors? iterum me suspensum facis?
Vt hosce ianitores perdat Iuppiter;
Vtinam quis hos adaxit ad suspendium,
Cubile qui istud oculis perspicacibus
Observant et propositum praepediunt meum.
Heus, serve, prosili, Sosia; num stertitas?
Sos. Nihil minus; quid vis, Rex augustissume?
Sex. 'St. num vigiles hos, qui cubant ad ianuam,
Sermonis inter quidquam contulisse se
Audisti? an dormiunt?
Sos. Rex, pectore ebrio
Altum veternum proflant.
Sex. veron' serio?
Sos. Ita hercle. nam a coena certatim grandia
Evacuarunt Lyaei pocla.
Sex. gestio
Audire talia. quod si vera edixeris,
Cras liber a me Sosia nuncupabere
Et equo, quo veheris, insuper donabere.
Sos. Per Romulum.
Sex. profer lychnum, ut contempler, an
Tam serio graves spirent anhelitus?
Plane est ita, ut dixti. quid alter? tertius?
Quid quartus hoc stertens supinus in angulo?
Omnes ad unum in aurem utramvis dormiunt.
Fave pulcrae Veneris matris pulcer puer.
Ingredere mecum, Sosia, et hic ad ianuam
Repagulis prope munitam siste te.
Nusquam meis rebus melior affulgere
Occasio quam haec poterat opportunitas.
Gladium meum cedo, facem tene manu.
Pellex Iovi Alcumena peperit Herculem,
Mihi pariet alterum Lucretia Romulum.

Hem Lucretia, vigilasne, coelitum genus?
Lucretia, vigila; noli pavescere.

## Lucretia

Luc. Quis me? ubi sum? vae vitae, vae fortunis meis!
Sex. En, Sextus adsum Tarquinius. ferrum in manu est,
Tace. moriere, si quam vocem emiseris.
Luc. Hei.
Sex. quid gemiscis?
Luc. me miseram.
Sex. ne, inquam, time.
Non hostem, amicum et cognatum vides tuum.
Luc. At hoc nec amici nec cognati est fungier
Officio, quod quo factum est confidentius,
Eo pol turpius.
Sex. tace, Lucretia,
Tace; nihil periculi est.
Luc. vae denuo.
Sex. Nisi e vestigio vocem compresseris,
Hoc, quod vides, tibi ferrum condam in pectore.
Luc. Ae, ae.
Sex. non te latere amorem pectoris
Laesi puto mei. benigne ergo feras,
Precor, si me tibi, quod non licuit hactenus,
Meique amoris aperio violentiam.
Etenim si in hoc mihi gratificata fueris
Tuique sponte copiam concesseris,
Te collocabo in matrimonium ilicet,
Et mecum in urbe Gabium, quam dedit pater,
Regnabis. at postquam progressu temporis
Cum morte vitam genitor commutaverit,
Romanorum et Latinorum dictionibus,
Tum subiugata Thuscorum potentia
Et aliarum, quibus ille iam nunc imperat,
Imperio et dominatu fruere gentium.
Etenim paternum me regnum scio aedepol
Habiturum, quemadmodum ipsa postulat aequitas,
Quod liberum eius natu maxumus siem.
Quae Regibus vero bona sint, Lucretia,
Quorum omnium Regina et domina mecum eris,
Ecquid te opus docere gnaram impensius,
Cum regio sis incluta ipsa stemmate?
Luc. O impudentem audaciam hominis regii,
O tetricum aditum ad notos cognati lares;

O gratiam malam, pro tot beneficiis;
O contumeliam, o atrocem iniuriam.
Sex. Quod si mihi adeo conaris resistere
Tristique repudio amoribus illudis meis,
Conservandi pudoris studio ac gratia,
Hoc te misere confectam iugulabo gladio.
Luc. Ah Sexte, nunquid te reverentia sanguinis
Revocat? ut abstineas a cognatae toro?
A me nihil temere atque indignum postules.
Sex. Hoc per Deos iterum atque homines, Lucretia,
Edico tibi: ne contra verbum proferas.
Si denegas, periisti iam nunc illico.
Luc. Apud me nec precibus quid efficis aut minis.
Sex. Stat ensis illa parte, quae acuta est maxume,
Qui mox tibi vocem cum anima intercludet simul.
Luc. At vero ego vel millies malim mori
Letoque crudelissumo mactarier
Quam vitam in isthac degere turpitudine.
Sex. Ergo trucidato servo comminus meo
(Vtpote de quo est potestas mihi vitae et necis)
Vno toro coniungam vestra corpora
Teque in adulterio turpi deprensam arguam;
Poenas mihi cognati ulciscenti iniuriam
Dedisse proferam merito: quod libera,
Quod regio prognata sanguine corporis
Tui mancipio foedo dederis copiam,
Ita ut probrosa mors turpisque futura sit,
Nec corpori sepulturae ius aut honos
Continget aut quidquam aliarum rerum omnium,
Quod rite concedi demortuis solet.
Luc. O ter quaterque foeminarum me omnium
Infelicissumam, o fato genitam malo:
An officiosa liberalitas mea
Quid tale de te meruit?
Sex. surdo fabulam.
Luc. Per omnes coelites, per omnia sacra te
Obtestor, oro, parce meae innocentiae.
Sex. Laterem lavas.
Luc. o Dii et Deae succurrite
Miserae mihi, ferte opem.
Sex. frustra imploras Deos.
Ego tibi ero iuxta auxiliator et Deus.
Si respuis, fato peribis pessumo.
Luc. Vae, vae.
Sex. tace sis, si me et vitam amas tuam.
Luc. Vtinam nec unquam te nec lucem viderim.

Sex. Hoc nunc agam, quando nec precibus nec minis
Leto nec insuper imminente flecteris.
Luc. O Sol, o Luna hodie supremam me vides.
O tellus conscia sceleris dehisce mi.
Sex. Heus Sosia, conopeum obtende tu toro;
Et propter adstans, diligenter ianuam
Observa et omnibus obsera repagulis.

## Actus quintus

Sextus Tarquinius

Sex. Heu, quam fugaces horae; heu, quam spacio brevi,
Si qua sunt uspiam, homini gaudia diffluunt.
Cur tam cito, nox evanida, paras fugam?
Resiste Apollo, mane apud inferos diu.
Cur tam repente equos ad operas retrahis?
Cur non sinis laeti carpant plus graminis?
Aurora, cur tam subito Tithoni tui
Cubile linquis croceum? si, quantum mihi
Lucretia, tantum tu quoque grata ipsi fores,
Non te permitteret tam mane surgere.
Nunquam mihi nox ulla visa brevior est
Nec ulla unquam mihi contigit iucundior:
Tam suavis haec fuit nox, qualem vix rear
Fuisse, quando raptam celsis navibus
Helenam Paris Menelai abduxit coniugem.
Tam dulcis isthaec nox mihi fuit, ut negem
Martem inter et Venerem fuisse tam bene,
Mulciberis quando capti uterque sunt dolis.
Nunc quoniam tam belle omne successit mihi,
Ad castra Martis ex Veneris tentorio,
Vt administrentur recte omnia, redeo.
Post saepius veniendi huc dabitur copia.

Lucretia

Luc. Ergo abiit hinc? quid? abiit hinc? o igneum
Fulmen Iovis, trisulca tela fulguris,
In hoc caput ruite miserum. quis iam mihi
Vitae usus est super; ecquid optem vivere?
Taedet poli celsi convexa tuerier.
Eheu mi acerbam curis vitam tristibus,
Leti sorores Parcae, vitam abrumpite:
Libet piare tetram hanc morte infamiam.
O culte nobis semper hactenus unice,
Sancte o pudor tuque o maritalis torus
Et tu duorum cana pectorum fides!
Quorum ego violavi iura et fregi perfide!
Ecquid ream me tam scelerati criminis,

Tam atrocis et tam insignis turpitudinis
Coram Diis iuxta et terrestribus omnibus
Propudii arguitis et perfidiae consciam?
Quid fama de me aut aetas quondam serior?
Bene audiet cunctis oris Lucretia.
Mori libet, quam talia animo volvere.
  Hem cultor hic? iam iam lethali vulnere
Animae resolvam spiramenta vividae.
Hei, hei mihi, mihi! quid? siccine occidam?
Nec vel parentes vel coniunctos sanguine
Nec vel maritum, coniux infaustissuma,
Nec patriam supremis vocibus alloquar?
Haud sic agam. quin liceat me in parentium
Ac in mariti palpitantem ulnis mori,
Tota eiulante amicorum frequentia,
Quis casus ille indignus videatur et atrox.
  Move te, abi tu actutum et nuncia viro,
Qui ad Ardeam pro libertate militat,
Quos secum habet, cum familiaribus omnibus
Romam ad socerum veniat; res atrox incidit.
Ita facto opus maturatoque, ut properiter
Isthuc relictis rebus omnibus advolent.
  Tu primus, o me, Iuppiter, ita enim par est,
Tu me o iuva. fac, munus hoc a te breve
Nunc impetrassim: ne quod excidat mihi
Praesente cognatorum numero verbulum,
Quod non rei summam faciat atrociam,
Nec ulla corde mihi gliscat vaecordia
Terrorve, mortis qui incutiat mihi metum.
  Vos vindices etiam prece invoco Erynnias
Et manium infernatum Mercurium ducem;
Tuque o triformis Hecate et tu Proserpina
Et vos Dii et Deae Cocyti singulae,
Vos mortis adiutores imploro meae:
Date ne pavorem, quo mihi tacta mens tremat.
Ferro apparavi in cote acumen sedulo.
Vos, ne qua aberret corde, operam omnem impendite.
  O patria, o penates, o aedes meae,
Vos limpidi fontes et flumina vitrea
Campique et aurae, silvae et horti et arbores
Montesque saxaque et muri Collatiae
Thalamusque conscius sceleris Lucretiae:
Non conspicabimini amplius hic Lucretiam.
  Vos o puellae et omnes gentiles mei
Valete; verba haec vobis edit ultima
Infelicissuma omnium Lucretia.

## Chorus puellarum, <Lucretia>

Cho. Lucretia, salve.
Luc. hei mihi!
Cho. clamorem audivimus:
Nam quis Deorum in haec te coniecit mala?
Aut quidnam fundis ore voces flebili?
Luc. Hei, hei mihi!
Cho. cur non salutem reddere
Verbis putas, quam comprecamur unice?
Luc. Hei ter miserae mihi, omnis occidit salus.
Cho. Quid accidit tantopere subiti incommodi?
Luc. Haec sciscitari ex me iam compendi face:
Fama periit, periit salus Lucretiae.
He heu, he heu, o me omnium miserrumam.
Cho. Desiste, amabo, per Deos; ad te redi.
Num triste nuncium de coniuge advolans
Tibi vulneravit aures?
Luc. hei miserae mihi!
Cho. Potin’ expedire? tibi in isthoc malo adiuvae
Erimus, feremus promtae consilium et opem.
Luc. Ah nulla, nulla sum; nil consilii et opis
Mihi et vobis super. desiste quaerere.
Cho. Quod istud ergo mente moliris malum?
Luc. Ne me rogassis. pulcra nam MODESTIA
In virgine est virtus.
Cho. vah, quam pendeo animi.
Sed te per unicum maritum, per Deos
Obtestor immortales.
Luc. iam nimis diu
Multa loqueris.
Cho. tui me amor adigit.
Luc. tace:
Molesta vero et infidelis es mihi,
Si nunc animum cognoscere cogitas meum.
Cho. Audis o Iuppiter, o tellus, o sidera,
O Orce luxque nitida, quos misera sonos
Edat Lucretia; nec quae luctus tam gravis
Et tam inopinati causa lamenti siet,
Facit cuiquam cognitum mortalium.
Et iam illa carpento conscenso abitum parat
Et, veste pulla nescio quem casum ferens
Aegerrume, dolorem animo saevum premit
Oculosque lacrymis plenos largis habet.
Hoc quidquid est, sorores, infortunii,

Libet experirier et, quid eventus ferat,
Vestigia legere, quorsum sese conferat.
Eadem salus nobis, idem periclum erit.

Collatinus, <Nuncius>

Coll. Quid hoc, quid ominis rear esse, coelites?
Tu fulgur o Iovis; nox o caligine
Densa picea, ut quid ita nocturno tempore
Terriculis et visis agitor? o sacra tu,
Quae gignis atris tellus pennis somnia:
Sit o imago, precor, haec noctis irrita,
Quam de mea vidi modo Lucretia.
Vos, o Dii et terrestria Numina, coniugem
Servate meam, quae sola iam est super mihi
Ancora domus, vitae solatium unicum.
Iam iam aderit aliquid sane, quodcunque est, mali
Novoque luctu perturbabit gaudia,
Felicitatis pristinae invertens vices.
Haud sic enim antea unquam certo mens mea
Pavore tacta timuit, stupefacta tremuit.
Quis caeca iam mihi pandit haec insomnia?
Visus siquidem remigio alarum praepete
Summo advolare ex aethere accipiter ad meas
Aedes et impetere uncis psittacum unguibus;
Quem amanti amans olim dono Lucretia
Misit mihi, in fidei constantis symbolum,
Eviscerare hunc dein et totum exedere cor.
Porro ipsam auxilio subeuntem Lucretiam
Sic laedere, ambos ut oculos amitteret.
Nunc ad quem pertinere hoc somnium autumem,
Non video nec coniectura possum assequi,
Sane quid ominis infausti mens augurat.
Nun. Prodito castris Romulidum, decus ducum.
Adsum profectus uxoris iussu tuae
Tibi, Collatine, dirum nuncium ferens.
Coll. Ehem quid hoc est diritatis, obsecro?
Nun. Te quam celerrume ad socerum, Romam, tuum
Tricipitinum, Vrbis praefectum illum maxumum,
Cum singulis, rogat, venias fidelibus.
Coll. Quid incidit?
Nun. res atrox, ut videre fas.
Coll. Quid illa rerum?
Nun. nil, nisi oculos perpete
Plenos lacrymarum tristis flumine gerere

Et eiulatus ore crebros fundere,
Nulli salutanti salutem reddere
Ac prae dolore vultum humi demittere,
Quasi cogitans animo quod maxumum malum.
Coll. Vae, vae; adest discrimen, ut audio, grave
Luctuque plenum et non cariturum lacrymis.
Neque enim ipsa me vocare eiusmodi solet
Tumultuosis territum clamoribus;
Et hoc mihi haec nox auguravit ominis.
O Dii boni, quam cursus fortunae est celer!
Quam subito ex laetitia et voluptate omnia
Luctus ad atros recidunt atque lacrymas.
Iam iam nihil morae est, quin cognoscam hoc malum,
An mitigari an vero averti possiet.

Tricipitinus, <Lucretia>

Tri. Quid, gnata, vultum et ora foedas lacrymis?
Quid intueris terram, defigens solo
Lumina? pugnisque honesta tundis pectora?
Frontemque tristem linteo obtento tegis?
Atraque velas corpus amictum syndone?
Luc. Heu, quod mearum calamitatum exordium
Capere queam? supplex ad genua procido
Tua et, pater, confugio ad te tuamque opem
Imploro.
Tri. quid isthoc miseriae est, Lucretia?
Lucretia, surge; ne te prosterne ad pedes.
Luc. Vae, vae mihi; vae ter quaterque miserrumae.
Tri. Quid hoc rei est? age, erige te, Lucretia.
Luc. Per genua quaeso.
Tri. ab humo te, filia, eleva.
Quid mente consternata et ore turbido
Et me patrem et te affligis indignis modis?
Quidnam sibi vult plangor et ululatus hic?
Luc. O foeminarum me omnium infaustissumam,
O te parentem miserae miserum filiae!
Tri. Per hos Deos, parens tuus, Lucretia,
Etiam rogo atque etiam, ut edisseras mihi,
Tibi quid acciderit tam insperati mali?
Luc. Ah mi pater.
Tri. tuus vero, ah mea filia,
Natura et ingenio pater. profare iam,
Quae sciscitor.
Luc. non me lacrymae sinunt loqui.

Tri. Statue modum lacrymis et eiulatibus,
Hoc oro te pro amore, quo te prosequor.
Luc. Hei, hei mihi; olim quae fui, non sum amplius.
Tri. Ah enecas me teque, si haud morem geris.
Luc. Hanc tam gravem et tam atrocem iniuriam
Nullique credendam penitus mortalium,
Hanc tu mea causa, pater, oro, ulciscere;
Nec filiam ex te honeste cretam despice,
Quae morte amariorem accepi iniuriam.
Tri. Papae! quis architectus est eiusmodi?
Aut quod genus tam atrocis contumeliae?
Luc. Brevi meas calamitates, pater, audies.
Sed hoc mihi primum beneficium, pater,
Largire, quod te filia precor unice.
Tri. Si denego, magnus perdat me Iuppiter.
Luc. Quotquot potes, pater mi iucundissume,
Actutum amicos et cognatos convoca,
Ex me illi ut ipsa, non ex aliis audiant,
Quam sim recens insignem passa iniuriam.
Post ubi gravem iuxta et foedam intellexeris
Necessitatem, quae me irretitam tenet,
Deinde cum illis consilium communica,
Quomodo meam tuamque iniuriam sies
Vlturus, omnes praecidens sagax moras.
Tri. Et operis aderit et pedum properantia,
Vt cabulari quisque cursu huc advolet.
Adesdum, serve: itineri accingitor ilicet
Et clabula mox huc Spurium Lucretium
Adducito, hinc duobus qui habitat passibus;
Et Publium cum eo Valerium, filium
Volesi illius Sabini, qui ad Romana se
Cum Rege quondam Tatio iunxit agmina,
Tam strenuum iuxta, quam prudentem virum.
Causam rogantibus ne quidquam dixeris.

Chorus mulierum Romanarum

Cho. O casuum terrestrium
Fortuna, subitis, nuncia,
Plutonis imple regiam
Rumoribus, quo Daemona
Per quem Romani milites
Intelligant, ad Ardeam hic
Qui pro salute patriae
Et libertate dimicant,

Casum gravem Lucretiae.
Dolore pressa nam gravi
Foedamque passa iniuriam,
Luctus et aestus turbidae
Mentis nequit componere.
Iam iam maritus illico
Collatinus Lucretiae
Festinet, adsit et suam
Fati propinqui coniugem
Vindex eripiat faucibus.
Iam nunc mori Lucretia
Decrevit et ferrum in manu
Sub veste tectum acutum habet.
Omnes amici ex quolibet
Huc convenite vos solo:
Si quis favor Lucretiae,
Si quae pudoris gratia
Et innocentiae est honos,
Adeste et antevortite
Tristis necem Lucretiae.

## Chorus puellarum

Cho. 1. O laudis, o pudoris
Exemplar assecuta,
Lucretia, o procellis
Gravique mentis aestro
Percellier caveto,
Curas resolve tristes.

2. Nam gloriam innocentis
Iure et probae mereris.
Cunctis ubique seclis
Depraedicata fama
Fereris usque honesta:
Sic nota in orbe clares.

3. Quamvis te iniqua sortis
Procella iam fatigat,
Praesume mentis altae
Constantia triumphum:
Quo durius periclum,
Virtus mage emicabit.

<Spurius Lucretius, Publius Valerius,
Tricipitinus, Lucretia>

Sp. Quid esset hoc mali subiti, numquid tibi
Est nunciatum, Publi?
Pub. haud aedepol scio.
Sp. Mihi profecto magnum animus incommodum praesagit.
Pub. Vt sit nata res, impensius
Desidero, quanto hanc in pectore volvo magis.
Sp. Demiror et, quorsum hoc evadat, sum in metu.
Pub. Non frustra erit, quod ipsum etiam ab exercitu
Iussit socer generum subito avocarier
Vna cum amicis et fidelibus omnibus.
Sp. Iam propemodum sciemus hoc, quid sit rei.
Pub. Nunquam soleo diiudicare quid prius,
Quam, quid siet veri, probe intellexero.
Sp. Eamus intro.
Pub. sane exspectant nos diu.
Sp. Salve, Tricipitine; salve et tu, Lucretia.
Tri. Qua convenire vos de causa iusserim
Huc, nobilissumi viri, tam celeriter
Tantaque festinatione: res gravis
Et seria incidit, ut audire fas erit.
Sp. Quid hoc negoti? moesta quod, Lucretia,
Sic assides, habitu pullo, unguibus comas
Scindens, genis lacrymarum ab imbre madentibus?
Satisne salva florent omnia?
Luc. hei mihi!
Qui salva sint, ubi omnis interiit salus!
Sp. Hoc magnus averruncet omen Iuppiter.
Pub. Et hoc in hostes avertat.
Luc. quid salvi enim
Amissa mulieri pudicitia est super?
Sp. Quis te pudoris transsiliisse limites
Aut suspicetur aut insimulans arguat?
Quae tam colens mariti fueris hactenus
Adeoque pol studiosa, ut iurare ausiem
Nullam fuisse Romanarum mulierum
Tam castitatis observantem sedulo.
Luc. Vis fati et atrae sortis inclementia
Hoc imminutum abripuerunt mihi decus.
Pub. Quae tam atra sors? aut quae fati violentia?
Luc. Vobis, amici et cognati integerrumi,
Vobis queri visum est meam innocentiam.
Sunt in toro Collatini alieni viri

Vestigia: o piaclum ineluctabile,
O turpe crimen et facinus indignissumum!
Sp. Ecquid dolore te, Lucretia, maceras,
Cum nemo sit, tibi qui impingat dicam?
Luc. At sceleris animus et flagitii conscius
Raptumque turpiter pudicitiae decus,
Tum mentis impetus Furiaeque vindices
Turpis ream accusant me facti et arguunt,
Vt nec deinceps libeat auras cernere
Superas poli nec iam terrae iuvet amplius,
Tanto bono cassam, vestigia figere.
Sp. Acerba quantumvis fers, perfer attamen:
Plus laudis est in animi fortitudine
Moderate perferentis aerumnas graves,
Dolore quam perpetuo discruciarier.
Pub. At quis vel uspiam tibi crimen acerbat hoc?
Immo dolemus unusquisque tuam vicem.
Luc. Vestram, o amici, condolentiam probo.
Sed me deinceps atque vitam odi meam,
Quae labis hac maculata scatet aspergine
Tantaeque foeditate plena infamiae est.
Eoque acerbior haec usura lucis est,
Vobis dolorem quod parit et molestiam.
Sp. Non prima foeminarum tu, Lucretia, es,
Quae passa tam atrocem violentiam siet.
Siquidem haud voluntate nec ex arbitrio tuo
Manarit haec, si est, perfidia.
Luc. fateor quidem:
Corpus modo violatum est, animus non item.
Insons hic innocensque mors testabitur.
Pub. Non est eiusmodi, ut propterea perieris.
Sp. Quin ergo dic, quis auctor tam nefarii
Sit criminis: iuvat hanc ulcisci iniuriam.
Luc. Veron' amici? dextras et fidem date,
Nequaquam adultero impune hoc scelus fore.
Sp. Eccam damus promtissumam et sanctissumam.
Luc. Est Sextus ille Tarquinius, qui pro hospite
Hostis priore nocte, vi armatus, mihi
Sibique (si tantummodo vos estis viri
Germenque Romuli) pestiferum gaudium
Hinc abstulit tetramque infamiam intulit.
Tri. O luctuosum familiae nostrae statum!
Pub. O asperum et crudele Tarquinii scelus!
Sp. Aequum est statim multarier hunc ultricibus
Adulterum poenis.

Pub. sed tu, Lucretia,
Ne graviter et moleste adeo casum hunc feras,
Vt propterea animum despondere libeat.
Tri. Haec noxa in auctorem delicti omnis cadit;
Coacta nullius rea es tu criminis.
Sp. Mens labe si vacat, poenis itidem vacat.
Sin corpus absque animi peccat sententia,
Ac inde mentis consilium abfuerit, nihil
Hoc dicier potest commissum criminis.
Tri. Vacare culpa maxumum est solatium.
Luc. Quid debeatur illi vos videbitis.
Ego licet peccato isthoc absolvo me,
Minus tamen supplicio dignam libero;
Nec ulla deinceps exemplo Lucretiae
Vitalibus impudica foemina vescier
Auris feretur. quod quae septa transgredi
Sacrisque constituta iura legibus
Pudoris audent et convellere impie,
Poenis coercerentur si dignis statim,
Haud tanta ubique pellicum copia foret.

## Chorus puellarum

Cho. O incolae,
Roma quos ingens fovet;
O foeminae, o puellae,
Quas uspiam tellus habet;
O Dii Deaeque cunctae:
Aspicite, aspicite
Lucretiam prius, quam
Illatum sibi per vim stuprum
Morte voluntaria luat
Sibique manus violentas inferat.
Tantum est honestatis decus,
Ingenuo pectore vivens,
Vt expetat vitae necem
Praeferre turpi acerbam;
Tam pestilens amor malum:
Plus aloes et fellis amari
Quam mellis in ipso est.
Tarquinium quoque poena manet sua:
Cum stirpe tota
E regno infamis et exul
Eiicietur.
Vindex scelerum Nemesis haud diu

Cruenta Regis crimina
Impunita relinquet.
Romulidum imperii
Novus ingruet ordo.
Ergo audias ex hoc casu, quicunque ades,
Tecumque cogita, ne illicito incendio
Amoris perditum te eas miserrume,
Ac disce ab aliis, usu quod tibi siet.

<Lucretia, Tricipitinus,
Spurius Lucretius, Publius Valerius>

Luc. Horsum, parens, age, flecte oculos in me tuos;
Et intuitum simul largire et basium,
Vt pignus extremum et monimentum tui
Mihi saltim amoris habere et ferre fas siet.
Est lucis hic mortalis contemptor animus.
Tri. Quo te dolor tandem abripit tuus?
Luc. Me miseram, ad Orcum, ad nigrantes Erebi domos.
Id dum modo sim certa, ne mortem oppetam
Inulta. praecipuum solet morientibus
Spes esse certa vindictae solatium.
Tri. At viva perfruere mox hoc gaudio,
Vt vindicatam egregie iniuriam tuam
Possis videre.
Luc. ah mortuae dicis, pater.
Tri. Quieta sis. nec ulla me impediet mora
Nec quemquam amicorum et cognatorum ex grege,
Quin hanc probe ulciscamur contumeliam.
Luc. O coelites, adeste mi,
Vos obsecro,
Date his finem doloribus.
Sp. Mortalia aspiciunt oculis iustis Dii.
Luc. O patrii lares,
Vos suppliciter precor,
Lucretiam cito
Exsolvite vitae.
Pub. Tua innocentia te et virtus vetant mori.
Luc. Coelum inferum et supernum,
Vale simulque salve.
Mox alterum incolemus
Sine luctibus aevum.
O dulce lumen aurae
Vitalis, aeternum vale;
Vale parens, marite,

Dulces valete amici.
Sic, sic iuvat
Ire sub umbras.

Sp. Proh Iuppiter, quid hoc video spectaculi,
Ehem Tricipitine.

Tri. hei mihi, vae misero mihi.
O filia, o mihi carum caput et amabile.

[Pub. Tri.] Hem ferrum, hem vulnus alte adactum pectori.

Pub. Lucretia, o Lucretia, siccine occidis?
Eheu.

Sp. Quid hoc mali? quam conspicor?
Quis culter hic cruore casto luridus?

Pub. Quis vim dedit?

Tri. Hei ter me infelicem atque amplius.
Lucretia, audi, quaeso; attolle lumina.
Ah filia, audin’ voce vocantem te patrem?

Sp. Extremos iam gemitus ciet.

Tri. Attolle sensim, Publi, et gremio huic meo
Impone. spongiam actutum et lymphas date,
Vt vulnus abluam.

Pub. o casum tristissumum.

Tri. Date fascias, fomenta porgite caetera,
Si qua queat sanari diligentia
Aut cura adhibita ex vulnere convalescere.

Sp. Vt palpitat?

Pub. iam luctantem ecce efflat animam.

Tri. Tenete vos uterque manu, ut, si quis super
Extremus ore oberret halitus, legam
Eheu miser; nihil ago, anima cum sanguine
Dispergitur.
Nequeo intuerier amplius
Auras anhelis follicantem naribus;
Et iam calor recedit omnis corpore,
Artus rigor pallorque gelidus occupat.
Ah qua potes, Publi, vultum velamine
Hoc obtege, ut ne oculis dirum hoc videam malum.
Hei, hei mihi! quid inceptem aut querar prius?
Meam aut tuam vicem?
Ah perdidisti, perdidisti
Me, gnata. cur me non simul
Deduxti ad imas manium domos?
Stygios iissem
Tibi comes
Ad inferos.

Iam nullus est
Vitae super
Vsus mihi.
Mori expeto.
Iam nunc intelligo probe
Tristissumis doloribus
Vacare cassos lumine.
Cur me non ante idhac Mars efferus
Saevis tot atrox interemit praeliis?
Nempe ut viderem miserandum hoc coram malum.
Sp. Cui non atrox nostrum videatur casus hic?
Ita me Dii ament, pro libertate millies
Est satius emori, tales quam iniurias
Illatas a tyrannis toties perpeti.
Tri. Quid ergo, amici, faciundum arbitramini?
Sp. Sic autumo: mittatur aliquis ilicet
In castra, ut et marito isthoc Lucretiae
Nunti ferat; nec non cum eodem milites
Ad faciendam defectionem exuscitet
A Regibus tantopere saevientibus.
Pub. Ego hoc laboris in me suscipiam lubens,
Vltro haec subibo munia.
Sp. Maturato opus.
Pub. Nil amplius de me quidquam desideres,
Abeo. tu, Lucreti, interim moesto patri
Adsiste praesto, consilio et solatiis.

## Chorus puellarum

Cho. 1. Lucretiam suapte
Ah manu modo peremtam
Deflete iam sorores.
Quae stuprum illatum sibi vi nefandum
Regis a nato nece vindicavit,
Clarum foeminei speclum pudoris.

2. Si voce quis gemente
Ah doloris, ah doloris
Aequare vim capessat,
Orpheo quamvis melior diserto,
Qui petras cantu potuit ciere,
Non quiret satis explicare luctus.

3. Ah te nimis nefanda
Hoc in orbe sorte pressam
Diraque morte functam:

Hoc honestatis decus, hoc suasit
Ac tibi erepti incluta laus pudoris,
O Lucretia, te perire fato.

4. Tu iam quidem peremta,
Sed stupenda, sed celebris,
Tua orbe fama vivit.
Dum tibi vitam nece amariorem
Orba surrepto statuis pudore,
Aeternum hoc moriens decus potiris.

5. Fama viges peremni,
Dum polus vagis vigebit
Stellis solumque flore.
Totius mundi volitas per oras;
Faucibus mortis rigidae te ademtam
Sublimem tua fert ad astra virtus.

<Collatinus, Lucius Iunius Brutus, Publius Valerius>

Coll. Properiter advolavi Romam huc ad meum
Socerum, ut quid hoc esset rei cognoscerem.
Ah, Iuni Brute, vix tibi credere fas siet,
Quantis fatiget curis cura me meae
Domus et coniugis.
Bru. non idem Iuppiter
Agitat eandem semper sortem, ut volueris
Animo. etenim persaepe quando tristia
Mala extimescis, eveniunt laetissuma;
Si laeta speras, accidunt miserruma.
Coll. At signa terrent, quae indicavit nuncius,
Vt inde coniicere nil fas siet boni.
Sed eccum Publium Valerium: ut quid citus
Ad nos properat?
Bru. recta nos, ut video, petit.
Coll. Salve Publi: quid est? quo te ducit via?
Pub. Vt te invenirem, celeriter movi gradum.
Coll. Quid istud, obsecro, cur tantopere tremis?
Quid palpitas? aut quid dubitas? edissere.
Pub. Ah, Collatine, sortis me miseret tuae.
Coll. Absit malum.
Pub. peiore res tuae loco
Non esse poterant.
Coll. qui sic? obsecro, nuncia
Citoque me expectatione tristi libera.
Pub. Fortuitum et improvisum nuncio malum.

Coll. Hei, hei mihi!
Pub. non unquam oculis atrocius,
Quo ad vixi, vidi spectaculum.
Coll. hei mihi!
Perii, occidi.
Pub. fluxere spes, lapsa omnia
Tristissumo hoc casu.
Coll. numquid Lucretiae
Aliquid meae fati crudelis obtigit?
Pub. Ah misera, diris confecta occidit modis.
Coll. He heu! heu me ter usque infelicissumum.
Bru. Quoia interempta est, ergo dic, manu?
Pub. Sua ipsa dextra, ut hisce oculis vidi meis.
Coll. Heu me miserum! quis me tam subitus opprimit
Iovis irati furor quaeve ira coelitum!
Bru. An sese amicorum cruentavit carens?
Pub. Quaecunque novi, vobis ordine referam:
Intemperantem effugere contumeliam
Tyrannidis non evaluit Lucretia.
Nam superiore nocte humaniter admodum
Exceptus hospitio a Lucretia, ut iubet
Cognationis ius, marito absente te
Sextus Tarquinius hostem sese pro hospite
Praebens, nefaria mentis libidine
Impulsus, aestum amoris intolerabilis
Tuo in toro restinguere atrociter ausus est.
Lucretia ipsa, amore quidem vero tui,
Pudicitiam tueri est conata unice,
Reluctata obstinate. sed captiva ceu
Nec non coacta necessitate gravi admodum
Mortis quidem ignominiosae formidine,
Tulit, mulierem ingenuam quae ferre est nefas.
Quam contumeliam indigne posthac ferens
Nec perferendam, amore pudoris, aestimans,
Postquam prius patri simulque adstantibus
Propinquorum quibusdam verbis tristibus
Multisque lacrymis sua infortunia
Narrasset ac precata voce supplice
Deos et amicos obtestata singulos,
Iniurias ulciscerentur ut suas,
Cultrum, sinu quem habebat abditum, patrem
Complexa, adegit ictu primo pectori;
Inque eius ulnis animam efflavit palpitans.
Coll. Vae ter quaterque misero mihi! vae denuo!

Pub. Proinde casum ut hunc significarem tibi
Tecumque ad faciendam a tyrannis milites
Defectionem sollicitarem, huc appuli.
Bru. Proh Iuppiter vosque omnes caeteri Dii,
Curae quibus sunt usque res mortalium:
Numquid reflexis seculorum anfractibus
Advenit optatum tempus, quod tam diu
Ego exspectans simulationem hanc indui?
Et hunc ad usque diem servavi strenue?
Fatale num Romanis esse creduim,
Mea ut opera dextraque deinceps vindice
Nefariae tyrannidis excutiant iugum?
Regumque fortiter spernant atrociam?
Coll. Heu, ego miser, miser!
Bru. quin ergo iam domum
Tricipitini petamus omnes ocyus.
Coll. O asperam et crudelem isthanc mihi viam!
Qui missus est, ut nuntiaret hoc mihi,
Aut ille tarde iit, aut ego tardus fui:
Alias ego antevortissem hoc incommodi.
Pub. Quo ad eius, quam fieri potest celerrume,
Properate; nam vos praestolantur singuli.
Bru. Contentione maxuma; ut, quid facto opus
Siet, deinceps consulamus illico.

## Chorus mulierum

Cho. Eheu gemendum est plane, o tota familia
Lucretiae, o domus Tricipitini patris,
Quale o vides spectaculum?
O qualiter Lucretia
Misera iaces?
Eheu lamentis nequeo aut flebilibus modis
Satiarier: o malum omnium gravissumum!
O intolerabile fatum!
Sic o Dii rependitis
Virtuti iusta praemia?
Non haec vobis nolentibus
Ita accidisse creditur.
Heu miserum casum et omnium tristissumum!

<Lucius Iunius Brutus, Collatinus, Tricipitinus, Publius Valerius, Spurius Lucretius>

Bru. Lamenta, planctum, ululatus, fletus audio.
Coll. Sine, primus introeam, ut subito hoc videam malum.
Eheu mihi! qualem te coniux, o Lucretia,
Video redux; eheu quid agam miser, miser!
Tri. Ah, Collatine, inauspicato huc fers pedem.
Coll. Velamen aufer, hoc ut omne, quidquid est
Spectaculi diri horridique, conspicer.
Ah, ah Lucretia,
Siccine deseris
Carum tibi caput?
Sinite, eam amplexibus
Foveam et libem oscula;
Bis ter quaterque exoscularier libet.
Lucretia, o vitae fulcrum meae,
Sicne occidis, occidis?
Dolore prae mali
Sum mentis impos.
Quo feror? ubi sum? quid loquor?
Actum est, amici, de me actum est. vita exeo;
Comesque ad inferos
Eo Lucretiae.
Date, porgite ferrum idem;
Ferrum, quod interemit
Lucretiam meam,
Cruentabit simul me
Animaeque spiramenta cum ipso sanguine
Lethali vulnere rumpet.
Bru. Ad te redi, Collatine. his nihil efficis
Inertibus querelis atque lacrymis.
Quanquam illud animi in uxorem est fidissumi,
Hae tamen inaniae haud fortem decent virum.
Et tu parens, Tricipitine, et vos reliqui
Necessitudinis coniuncti vinculo
Lucretiae, satis superque temporis
Deinde ad hanc deflendam omnes habebitis.
Sed cogitandum iam, quo pacto iniuria
Illata iure vindicarier queat.
Nam ratio temporis praesens hoc postulat.
Tri. Recte mones.
Bru. ergo remotis omnibus
Domesticis et famulis obstrepentibus,

Quid facto opus siet, consultabimus,
Soli sedentes.
Pub. heus famuli recedite
Et vos domestici ocyus movete vos.
Bru. Primum, o viri, magnanimi germen Romuli
Et flos Sabinae gentis, hoc de me velim
Vos scire: non eam, quam multi existimant,
Stultitiam inesse in me. sed certo tempori
Inserviens, accommodavi isthanc volens
Simulationem vitae et personam mihi:
Cum, Regis ut de me furor quiesceret,
Et efferam declinarem tyrannidem,
Nec ego velut parens et germanus mei
Miseris trucidatus quoque mactarer modis;
Tum spretus hoc ut sub habitu, quam statuerat
Veram tyrannus esse stultitiam, attentius
Molitiones observarem et omnia
Consilia Regis omnium saevissumi.
Idcirco sic servatus usque ad tempus hoc,
Quod expetivi et exoptavi saepius.
Nunc tandem eam de me volgo sententiam
Et fatuitatem falso creditam pronuncio
Annosque per viginti et quinque strenue
Servatam depono et vobis spectantibus
Plane exuo, mores et indolem induens novam.
Atque haec quidem de me hoc nunc tempore dicta sint,
Ne mente cuiquam confusa et sana parum
Videar gravissumis de rebus dicere
Et Brutus indigere curatoribus.
Res vero publica, Diis quae permittentibus
Diu procellis est iactata turbidis,
Ad pristinum per me revocabitur decus.
Quocirca ego iam ad vos haec verba proloqui
Decrevi, occasionem nactus commodam,
Vt videam, utrum vestris meam sententiam
Suffragiis et comprobetis calculis.
Etenim mihi persuasum habeo vobis omnibus
Notam et molestam Regis esse tyrannidem
Tarquinii; quippe qui aras et Deum sacra
Et templa polluit manibus crudelibus
Et in suos omni cives piaculo
Commisso consceleravit barbaris modis;
Qui comitia, conciones et suffragia,
Quae publicis de rebus habentur, sustulit;
Qui iura, leges, libertatem publicam,
Immunitates abrogavit civium.

Illos viros claros iuxta et gravissumos,
Quorum fide et opera haec illustris civitas
Quondam fuit, partim de medio sustulit,
Partim autem in exilium abegit turpissumum;
Qui patriis nec moribus nec legibus
Regnum occupavit atque, utcunque adeptus id,
Neque regium neque honestum in eo se praestitit,
Verum tyrannos omnes, quos tulit unquam humus,
Immanitate, iniustitia et iniuriis
Atrociaque superavit longissume.
Hanc abrogare igitur ei decrevimus
Potestatem imperii: cum et facinora caetera,
Tum admissum Sexti filii recens scelus
(Cuius miserandum propalam spectaculum)
Perfidiaque in hospitium et cognatum sanguinem
Instiget hanc ad ulciscendam iniuriam.
   Quare ex duobus eligendum his alterum est:
Vel gloriosa mors vel vita libera.
Quis ergo vobis nunc sit animus, dicite.
Tri. Omnes eadem sumus in sententia.
Sp. Vnde hoc novum est in Bruti ingenium pectore?
Pub. Ego totus obstupesco rei miraculo.
Bru. Quando igitur est vobis ita, magnifici viri,
Deliberatum et constitutum firmiter,
Iam non opus verbis esse amplius arbitror,
Sed factis. si quid horum, quae facienda sunt,
Peragere vultis, et ego horum quidem initium
Facturus, aspirante Divum gratia.
   Quare per hunc castissumum, ante regiam
Iniuriam, nunc sancte iuro sanguinem:
Te, Mars, Deosque testes facio caeteros,
Tarquinium me Superbum, viribus omnibus,
Cum coniuge scelerata et omni liberum
Cum stirpe ferro, igni et dehinc, quacunque vi
Potis fieri, exstirpaturum radicitus
Nec cum tyrannis rediturum unquam in gratiam;
Nec quempiam, hisce vel coniunctum sanguine
Vel servitutis obligatum vinculo,
Me impune laturum Romae pronuncio,
Omnes sed aeque fautores hostis loco
Tyrannidisque patronos habiturum assero
Odioque prosequuturum ardentissumo.
Quod si dies tamen me aut aetas quaepiam
Violare iusiurandum tale viderit,
Mihi hoc meisque liberis mortis genus,
Huic quale foeminae iam contigit, imprecor.

Agite ergo et tu primum, parens Lucretiae,
Tu deinde, Collatine, vosque caeteri
Graves viri, quod usque Romanos decet,
Tam coniurationis sanctae date fidem;
Cultrumque mactatorem isthunc Lucretiae
Ori viritim imponentes Diis testibus
Pronunciate iuramenti formulam.

Tri. Per coelites et sacra iuro per omnia,
Quacunque vi me ulturum hoc Tarquinii scelus.
Quod si sciens fallo, tum me Diespiter,
Salva Vrbe et arce, ut ego hunc silicem, eiiciat bonis.

Coll. Per quam mihi sanctam et inculpatam praestitit
Vivens Lucretia, iuro et polliceor fidem,
Per unicum hoc terris mihi caput amabile:
Nequaquam adultero impune hoc nefas fore.

Sp. De me tibi sic contestans omnes Deos
Promitto: vita, fortunis et sanguine
Me vindicaturum Tarquinii dedecus,
Aut terra me ima dehiscens subito absorbeat.

Pub. Per hos meos oculos, iuro per sidera
Pro viribus me eversurum hanc tyrannidem,
Aut fulmen igneum me perdat illico.

Bru. Nunc restat hoc, quoniam iam ab luctu protinus
Conversi in iras iustas effervescitis,
Vt deferatur in forum Lucretiae
Cadaver; ac rei novae miraculo
Indignitateque homines conciantur, et scelus
Quisque execrari discant isthoc regium
Odiisque certatim ardescant communibus.

Tri. Edico cunctis huius Vrbis civibus,
Vt ne amplius dominatum agnoscant regium.
Sed cum sit hoc sub Tarquinio Rege ultimo
Conversus in tyrannidem saevissumam,
Sublatus esto et abrogatus hic status.
Pars Vrbis omnes portas, ite, claudite,
Pars plena munite armis propugnacula
Regemque ventitantem arcete moenibus.
Ac maxuma, ut hoc fiat, celeritate est opus.

Coll. At vos, quot hic adestis, moesto impendite
Munus viro Lucretiae, triste id quidem,
Sed debitum matronae laudatissumae:
Properate quidam vestrum, amiculum anthracinum
Exequiis habitum idoneum funebribus.
Alii tripes labrum flammis imponite
Vndisque reddite tepidum lustralibus,
Vt corpus abluam cruore luridum.

Vulnus enim adhuc recens inflictum pectori
Eructat atrum venis stillans sanguinem.
Alii Cilissae unguenta spiceae porgite,
Vt hoc cadaver inungam, stemmate regio
Illustre. vos vero agite caeteri, pyram
Erigite, taedis pinguem et secto robore
Feralis atque cupressi odoram frondibus,
Vt coniugis defleta membra uram ignibus.
Denique capacem praeparate cineribus
Aliamque lacrymis aptam date urnulam.
Nunc verba aio suprema tibi, Lucretia:
O foeminas inter, Lucretia,
Romanas laudatissuma
Pudore, maritali fide,
Crudelitatem passa Regiam,
Fato interempta iniquo:
Have, o carum mihi quondam decus,
Et extremum vale, o Lucretia.

## Chorus mulierum

Cho. Heu, quanta vis doloris,
Cum fata morsque dissipant
Firmo consociata corda amore!
Communis haec data est lex
Mortalium cuivis,
Conflictantem agat ut dolore vitam
Et mortis anxiam metu.

## Chorus puellarum

Cho. Ah, ah; quam vario pericla casu
Natura nostra et aeque
Dira et stupenda perfert.
Tristius sed nil, magis aut cruentum,
Quam coniugis videre,
Qualem sortita est Lucretia mortem.

Finis

# Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die seltene zweite, korrigierte Ausgabe von 1608 mit dem Titel „M. Samuelis Iunii *Suebusinatis Silesii* Lucretia. Tragoedia nova, Recusa J N Solenne auspicium XXXIII. panegyris, seu natalis inclytae Noribergensium Academiae Altdorfianae, E T Publice exhibita in loco Collegii hypaethro, Anno a nato Christo M D C VIII. III. Calend. Iul. qui dies Petro et Paulo Apostolis sacer est [...]". Verglichen wurde die vielfach fehlerhafte Erstausgabe von 1599 mit dem Titel „M. Samuelis Iunii Suebusinatis Silesii Lucretia: Tragoedia nova. Ex veterum tum Graecorum tum Latinorum historiographum monimentis ita concinnata: ut maxime memorabilia, scituque digniora Romanorum facinora, ab ipsa Vrbis fundatione, ad Reges usque expulsos, in Theatro exhibeat. In Theatro Argentinensi publice exhibita, Anno M D XCIX. Mense Augusto". Deren Abweichungen bzw. Druckfehler sind ebenso wie deren mangelhafte Interpunktion hier nur z. T. dokumentiert (immerhin interessant die oben abgedruckten unterschiedlichen Textfassungen nach V.66, 211, 212, 2395 [der Text von 1599 jeweils als Kleindruck]). Nicht zugänglich war mir die Ausgabe von Thoen (unpubl. Diss. Leuven 2003).

Die orthographischen Eigenheiten der ursprünglichen Drucke wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u*/*V* für vokalisches *u*/*U*, *ss* für *ß*, *poena* für *paena*, *lacry-* für *lachry-*, *car-* für *char-*, *pulcr-* für *pulchr-*, *causa* für *caussa*, *foed-* für *faed-*, *foemin-* für *faemin-*, enklitisches *-ne* ohne Abstand sowie *-issum-* statt *-issim-* (65, 70, 89, 100, 170, 202, 213, 312, 405, 575, 656, 830, 852, 929, 1034, 1547, 1549, 1570, 1845, 1920, 1998, 2162).
Groß geschrieben wurde: 118 *Divum*, 653 *Divum*, 751 *Vestae*, 1350 *Somnus* (wie 1599), 1416 *Solis* (wie 1599), 1523 *Diae*, 1535 *Optumum* (wie 1599), 2364 *Orcum* (wie 1599) sowie in allen Formen *Rex* (138, 351, 533, 544, 1188, 1275, 1737, 1771, 1898, 2449), *Numen* (652, 989, 1144, 2079), *Vrbs* (236, 291, 297, 304, 995, 1726) und 258 *ROMVLVS* (wie 1599); klein dagegen: 91 *attagena*, 92 *phasianus*, 104 *salutem*, 107 *amystide*, 126 *imperio*, 130 *oratore*, 211a *regiae*, 336 *ducum*, 371 *musicis*, 435 *duces*, 532 *leo*, 566 *virtus*, 615 *tigride*, 661 *imperii*, 698 *imperii*, 751 *sacerdos*, 769 *collegium*, 936 *tyrannum*, 969 *bubo*, 990 *imperium*, 1167 *cristallino*, 1174 *gratiae*, 1190 *fortunam*, 1239 *tyrannidis*, 1294 *virtus*, 1661 *virtus* (wie 1608, gegen 1599), 1725 *sol*, 1637 *principem*, 1860 *pulcrae*, 2099 *ducum*, 2328 *incolae* (wie 1599), 2443 *tyrannis*, 2458 *sorores* (wie 1608, gegen 1599), 2485 *virtus*, 2676 *tyrannos*, 2704 *tyrannis*, 2727 *fidem*, 2747 *tyrannidem* sowie - zumeist wie 1599 - 34 *commerci* statt *COMMERCI*, 56 *ducem* statt *DVCEM*, 182 *nusquam* statt *NVSQVAM*, 226 *prudentia* statt *PRVDENTIA*, 246 *sunt* statt *SVNT*, 707 *profecto* statt *PROFECTO*, 1074 *Deum* statt *DEVM*, 1076 *haec dos* statt *HAEC DOS*, 1231 *libido* statt *LIBIDO*, 1459 *felicem* statt *FELICEM*, 1901 *stemmate* statt *STEMMATE* (1599 Großbuchstaben, 1608 Kapitälchen). Zusätzlich sind in der Ausgabe von 1608 einzelne Wörter vom Schriftbild her abgesetzt; dies wurde nicht übernommen.
In dem in der Ausgabe von 1608 gegenüber der von 1599 deutlich umfangreicheren Darstellerverzeichnis wurde ein weiterer Soldat ergänzt sowie *Gynaeceo* statt *Gynecaeo* (1599), *gyniceo* (1608) geschrieben, *Superbi* statt *superbi*, *germani Sex.* statt *Germani sexti*, *nobiles* statt *Nobiles* und gemäß den folgenden Abkürzungen *Sex.* statt *S.* (dagegen vor 2584 *Lucius* statt *L.*); der 1608 bei Brutus gestrichene Zusatz *Stultus Regis* wurde nach der Ausgabe von 1599 als *stultus Regis* beibehalten. Vor den einzelnen Akten bzw. gemeinsamen Szenen wurden die Sprecher nach ihrer überschriftsartigen Einzelankündigung vor ihrem Auftritt ergänzt; dies ist oben jeweils markiert. Zusätzlich eingerückt wurden 581 (wie 1599), 710 (wie 1599), 1116, 1446 (wie 1599), 1461 (wie 1599), 1596 (wie 1599), 2652 (wie 1599).

| | |
|---|---|
| 87 | *Baccho* statt *Bacho* 1599, 1608 |
| 185 | *aufer te* statt 1599 *auferte*, 1608 *aut fer te* |
| 489 | *Bacchi* statt *Bachi* 1599, 1608 |
| 736 | *identidem* statt *idemtidem* 1599, 1608 |
| 1184 | *honori* wie 1599 statt 1608 *honore* (wohl Druckfehler, nicht als Dativ gemeint) |
| 1281 | *querens* statt *quaerens* 1599, 1608 |
| 2022 | *pavorem* statt *pavore* 1599, 1608 (alternativ am Ende 'Komma' statt 'Punkt') |
| 2162 | *iucundissime* statt *iucundissimo* 1599, 1608 |
| 2315 | *ac* statt *at* 1599, 1608 |

Varianten bzw. zumeist Druckfehler 1599: 76 bzw. 66b *toro*, 137 *-ne* ausgelassen, 146 *factam*, 213 *at quando*, 231 *quis*, 275 *vato*, 316 *munificentia*, 323 *dem*, 348 *conueuit*, 351 *Caeninensium*, 378 *corallas*, 394 *vaecordia*, 484 *at*, 556 *gloria decu*, 627 *acresset*, 653 *supremae*, 742 *exercito*, 763 *fundanima*, 779 *laborem*, 783 *de spectui*, 851 *prefruor*, 657 *maxuma*, 866 *prodomitis*, 879 *possimus*, 941 *de repente*, 1001 Sprecher *Nun.*, 1085 *laeticiis*, 1092 *opperirier*, 1102 *glomerate*, 1103 *pedipus*, 1110 *amisit*, 1137 *libui*, 1174 *quod*, 1261 *concinunt*, 1375 *ne*, 1450 *intellexi in te*,

1585 *praesentissimum*, 1594 *aulla*, 1652 *nec*, 1795 *coeptis*, 1798 *suo*, 1845 *angustissime*, 1891 *ditionibus*, 1919 *vera*, 1923 *ut pote*, 2048 *promptae*, 2063 *facis*, 2087 *tam*, 2141 *hoc*, 2362 *contemtor*, 2615 *relliqui*, 2672 *abigit*, 2790 *coniugem* sowie als orthographische Eigenheiten *advorsus*, *exsequi*, *exspecto*, *exsuscito*, *faedus*, *felicitas*, *haud*, *iniusticia*, *lacryma*, *(pro-) nuntio*, *nuntius*, *poena* neben *paena*, *spaci-* neben *spati-*, *stulticia*.
Varianten bzw. zumeist Druckfehler 1608: 42 *caenulam*, 75 *more*, 111 *nil*, 111 *hoc*, 119 *ita* ausgelassen, 232 *et minimum*, 246 *hominnm*, 257 *maxume*, 289 *bella*, 298 *modestiae*, 316 *indrustria*, 321 *statuta*, 341 *pratrocinarier*, 361 *coujugis*, 531 *quavis*, 591 *molitiei*, 686 *quietam*, 696 *vivos*, 717 *avertuncatam*, 745 *filiorum*, 787 *spectacula*, 801 *mors*, 848 *voluistin*, 853 *optinanti*, 911 *observari*, 914 *oimnis*, 917 *discimen*, 918 *furor* ausgelassen, 942 *auras*, 942 *observarier*, 970 *strepitur*, 974 *potendere*, 990 *conservare*, 992 *averruncabant*, 1118 *sua*, 1118 *frontilia*, 1240 *iniuste*, 1266 *clamare*, 1279 *documenta*, 1287 *multum*, 1304 *solertia*, 1347 *diuturnis*, 1365 *proprior*, 1464 *arcesserit*, 1482 *Appollo*, 1624 *vero*, 1636 *illic*, 1680 *obligata*, 1703 *cozyphaeo*, 1795 *caeptis*, 1858 *sternens*, 1860 *pulcra*, 1883 *pecor*, 1895 *regium*, 1933 *de mortuis*, 1960 *cubilie*, 1992 *audet*, 1994 *cultor*, 2021 *auditores*, 2051 *molieris*, 2053 *pendo*, 2064 *carpendo*, 2155 *amaviorem*, 2171 *properantiae*, 2230 *si*, 2383 *infernum*, 2438 *saevius*, 2263 *quaeri*, 2368 *ah*, 2420 *Puble*, 2422 *inceptum*, 2501 *isthuc*, 2610 *vulnera*, 2719 *mactatorum*, 2722 *iura*, 2741 *concionantur*, 2745 *me* sowie als orthographische Eigenheiten *adversus*, *exequi*, *expecto*, *exuscito*, *foedus*, *foelicitas*, *haut*, *iniustitia*, *lachryma*, *(pro-) nuncio*, *nuncius*, *paena* neben *poena*, *stultitia*.

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 2, 15, 28, 30, 30, 30, 43, 45, 45, 47, 66b, 67, 74, 89, 104, 111, 122, 157, 184, 185, 187, 211a, 211e, 212b, 216, 217, 219, 227, 234, 235, 245, 248, 250, 250, 251, 251, 252, 255, 259, 260, 262, 267, 281, 283, 287, 293, 298, 299, 305, 325, 331, 332, 353, 358, 366, 368, 376, 380, 383, 389, 393, 401, 447, 447, 448, 464, 482, 482, 504, 505, 520, 528, 530, 534, 538, 539, 546, 551, 555, 556, 557, 573, 576, 578, 584, 590, 592, 594, 605, 617, 622, 646 (wie 1599), 648, 661, 670, 683, 684, 687, 688, 698, 709, 714, 716, 719, 732, 735, 747, 748, 749, 759, 768, 771, 806, 810, 810, 834, 836, 863, 881, 884, 887, 888, 889, 897, 916, 917, 919, 928, 933, 951, 962, 967, 970, 971, 972 (wie 1599), 980, 983, 990, 996, 1011, 1012, 1013, 1018, 1018, 1023, 1027, 1031, 1032, 1039, 1042, 1043, 1066, 1067, 1069, 1077, 1080, 1080, 1081, 1085, 1097, 1099, 1111, 1113, 1113, 1117, 1118, 1119, 1132, 1135, 1140, 1154, 1164, 1166, 1167, 1169, 1170, 1210, 1212, 1218, 1228, 1229, 1233, 1244, 1255, 1258, 1276, 1286, 1289, 1292, 1293, 1294, 1306, 1310, 1313, 1315, 1321, 1324, 1333, 1341, 1344, 1348, 1349, 1362, 1366, 1367, 1368, 1375, 1382, 1389, 1391, 1396, 1401, 1402, 1410, 1427, 1428, 1430, 1437, 1438, 1440, 1445, 1449, 1449, 1452, 1453, 1460, 1463, 1466, 1494, 1502, 1526, 1531, 1550, 1564, 1568, 1570, 1578, 1594, 1602, 1624, 1630, 1634, 1635, 1652, 1660, 1672, 1674, 1678, 1703, 1708, 1710, 1712, 1728, 1734, 1766, 1774, 1782, 1801, 1801, 1815, 1822, 1830, 1843, 1875, 1885, 1892, 1916, 1932, 1945, 1946, 1952, 1984, 1984, 1988, 1990, 1991, 1997, 1997, 2004, 2015, 2017, 2019, 2026, 2026, 2027, 2027, 2027, 2027, 2028, 2031, 2060, 2061, 2066, 2069, 2079, 2082, 2090, 2097, 2114, 2120, 2122, 2136, 2137, 2138, 2151, 2151, 2163, 2166, 2171, 2173, 2196, 2200, 2205, 2216, 2232, 2259, 2262, 2266, 2269, 2271, 2272, 2274, 2283, 2284, 2287, 2290, 2293, 2304, 2325, 2336, 2343, 2343, 2359, 2371, 2382, 2384, 2406, 2409, 2419, 2482, 2490, 2518, 2532, 2536, 2538, 2542, 2551, 2558, 2583, 2595, 2612, 2639, 2646, 2649, 2650, 2661, 2662, 2665, 2669, 2673, 2674, 2675, 2677, 2686, 2701, 2702, 2708, 2709, 2715, 2725, 2731, 2748, 2750, 2758, 2780, 2787

'Komma' gestrichen nach: 1 *nocte*, 10 *occupatam*, 12 *impetum*, 27 *excubitoribus*, 55 *gero*, 67 *fratres*, 83 *bonos*, 87 *Baccho*, 109 *ferens*, 120 *inservio*, 125 *Eretum*, 127 *legibus*, 143 *reprehendere*, 146 *mali*, 199 *perpete*, 201 *ambulante*, 203 *meae*, 211d *venerans*, 202 *charissumae*, 228 *dubio*, 228 *dari*, 244 *hominum*, 254 *fortia*, 263 *gregem*, 266 *se*, 285 *favore*, 286 *feliciter*, 318 *novi*, 333 *omnibus*, 339 *sentiret*, 340 *imparem*, 374 *domesticis*, 374 *animi*, 377 *personarent*, 452 *inhians*, 484 *licet*, 529 *servorum*, 543 *res*, 544 *imperium*, 575 *pugnando*, 625 *foemineum*, 631 *insignia*, 632 *virtutem*, 632 *scelera*, 655 *malo*, 683 *denuo*, 686 *sibi*, 692 *oppugnatum*, 693 *dimissus*, 730 *lanae*, 752 *geminos*, 775 *structa*, 796 *amore* (wie 1599), 803 *trahebant*, 815 *labescens* (wie 1599), 830 *voce*, 846 *maritus*, 858 *tua*, 866 *victoria*, 870 *Regi*, 882 *condecet* (wie 1599), 925 *Iuppiter*, 977 *latratus*, 989 *Dii* (wie 1599), 1001 *duae*, 1004 *allaturae*, 1007 *struem*, 1010 *arboris*, 1024 *optaverim* (wie 1599), 1047 *gazae*, 1066 *mulierum*, 1075 *uxore*, 1107 *Tyndaridis*, 1161 *genas*, 1183 *potius*, 1230 *praestantiam*, 1245 *ventilans*, 1298 *credulae*, 1298 *vano*, 1305 *arbitror*, 1327 *moras*, 1476 *mutarier*, 1491 *Cereris*, 1505 *fatuo*, 1564 *probos*, 1571 *haeres*, 1587 *fuit*, 1680 *bellicis*, 1704 *me*, 1704 *se*, 1821 *condecet*, 1825 *diei*, 1833 *te*, 1833 *patre* (wie 1599), 1864 *occasio*, 1928 *sanguine*, 1929 *tui*, 1972 *Martis*, 1988 *turpitudinis*, 2082 *mali*, 2130 *tua*, 2130 *te*, 2185 *quem*, 2195 *Lucretiae*, 2255 *hactenus*, 2264 *Collatini*, 2271 *vindices*, 2389 *vale*, 2416 *amplius*, 2435 *doloribus*, 2448 *exuscitet*, 2449 *regibus*, 2457 *manu*, 2460 *nato*, 2469 *pressam*, 2522 *tyrannidis*, 2539 *quibusdam*, 2540 *lacrymis*, 2545 *primo*, 2558 *vindice*, 2605 *porgite*, 2608 *me*, 2635 *mei*, 2664 *commisso*, 2670 *opera*, 2684 *instiget*

'Komma' ergänzt: 17, 17, 18, 28, 38, 38, 39, 39, 39, 47, 47, 50, 51, 52 *pedites*, 57 *catumque*, 62, 64 *patruelis*, 77 *video*, 83, 88, 98 *propino*, 99, 101, 101, 102, 102, 102, 105, 108, 108, 108,

123 *est*, 145, 147 *neque*, 147 *solent*, 149 *convivium*, 151, 156, 163, 164 *abeo*, 166, 167, 170, 170, 171, 174, 176 *labia*, 177 *siticulosum*, 178 *virum*, 183, 185, 188, 191, 192, 202 *ergo*, 204 *vides*, 205 *optime*, 211d *Deus*, 212b, 233, 246, 278, 284 *pium*, 317, 323, 330, 339, 360, 361, 378 *corollas*, 386 *profers*, 391, 397, 409 *age*, 412, 453, 471, 483, 492, 504, 510 *discederem*, 527, 537 (wie 1599), 543 *est*, 543 *gloriam*, 579, 579, 581, 583, 615 *saevior*, 622, 638, 644, 655, 655, 656, 658, 666 (wie 1599), 668, 676, 676, 694, 694, 737, 737, 741, 742, 746, 746, 752 *ipso* (wie 1599), 766, 782, 798, 819, 851, 854, 861, 862, 880, 880, 885, 888, 891, 891, 892 *gradum*, 894, 905, 906, 907, 910, 914, 915 *Tarquinium*, 920, 920, 926 *parens*, 934, 938 (wie 1599), 958, 987 *est*, 997, 999 *istud*, 1000, 1004 *evolant*, 1014, 1054, 1054, 1064, 1065, 1068, 1087, 1089, 1093 *age*, 1093 *tolutarie*, 1100, 1101, 1105 (wie 1599), 1112 *omnibus* (wie 1599), 1116 *ades*, 1116 *serve*, 1126 *ah*, 1143, 1145 *vae*, 1145 *meae*, 1147 (wie 1599), 1147, 1158 *vivum*, 1160 *discrimina*, 1168 *sonos*, 1175, 1175, 1175, 1197, 1202, 1262 *Martia*, 1275, 1275, 1283 *malum*, 1290 *Sextus*, 1334, 1336 *suffragiis*, 1340, 1340, 1346 *heri*, 1349 (wie 1599), 1357 *genis*, 1376, 1376, 1377, 1390 *hei*, 1391 *miser*, 1394 *te*, 1395 *te*, 1395 *vo-co*, 1417 *videte*, 1417 *quaeso*, 1417 *videte*, 1419, 1436 *sequi* (wie 1599), 1446, 1459 *vivit*, 1483, 1485, 1487, 1515, 1519, 1525, 1525, 1528, 1528, 1532, 1532, 1534, 1534, 1538, 1538, 1539, 1541 *age*, 1544 *Phrygis*, 1550, 1550, 1554, 1555, 1556, 1561, 1567, 1606, 1606, 1610, 1623, 1625, 1639, 1652, 1655 *volentibus* (wie 1599), 1657, 1663, 1663, 1667, 1670 *narras*, 1675 *obsecro*, 1680 (wie 1599), 1690, 1693 *animus*, 1709, 1711, 1725, 1728 *eruntque*, 1748 *Faune*, 1749, 1751 (wie 1599), 1754, 1756, 1769, 1773, 1774, 1778, 1778, 1789, 1789, 1795 *tu*, 1796, 1796, 1812, 1812, 1818, 1818, 1824, 1824, 1824, 1826, 1828, 1829 *habes*, 1831, 1831, 1836, 1844 *heus*, 1844 *serve*, 1845, 1846 *hos*, 1854, 1854, 1857, 1868 *vigilasne*, 1869, 1871, 1873, 1873, 1876 *confidentius*, 1877 *tace*, 1879, 1881, 1882, 1913 *Lucretia*, 1917, 1944, 1953, 1953, 1953, 1954, 1955, 1955, 1961 *fores*, 1965, 1969, 1971, 1976 *fulguris*, 1980, 1981, 1983, 1996 *hei*, 2004 *viro*, 2008, 2011, 2034, 2037, 2044, 2044, 2053, 2057, 2062, 2065, 2068 *infortunii*, 2069 *et*, 2072, 2072, 2075, 2077 *imago*, 2077 *precor*, 2079 *vos*, 2082, 2082, 2096, 2099, 2101, 2101, 2102, 2104, 2104, 2105, 2105, 2113 *vae*, 2123, 2123, 2128 *heu*, 2130 *et*, 2131, 2132, 2133, 2134, 2134, 2135, 2135, 2141 *Lucretia*, 2144, 2144, 2145, 2149 *hei*, 2153 *oro*, 2158, 2158, 2159, 2159, 2161, 2162, 2162, 2164 *audiant*, 2188, 2206, 2207, 2209, 2210, 2211, 2228, 2232, 2232, 2236, 2238, 2238, 2240, 2240, 2242 *huc*, 2245, 2245, 2262, 2262, 2267, 2267, 2270, 2288 *tu*, 2288 *Lucretia*, 2294, 2308, 2308, 2325, 2354 *ades*, 2356, 2358 *horsum*, 2370, 2374, 2374, 2375, 2378, 2383, 2391, 2396, 2396, 2402 *Lucretia*, 2402 *audi*, 2403, 2405 *sensim*, 2420, 2420, 2422, 2425, 2444, 2454, 2454, 2465, 2471, 2473, 2474, 2488 *ah*, 2488 *siet*, 2498, 2498, 2500, 2501 *isthuc*, 2503, 2503, 2505, 2508, 2508, 2515, 2515, 2530 *tui*, 2561 *heu*, 2564 *mihi*, 2567, 2567, 2569, 2570, 2572 *patris*, 2585 *sine*, 2586, 2586, 2588, 2588, 2589 *omne*, 2590, 2591, 2591, 2594, 2597 *meae*, 2602, 2602, 2606, 2607, 2611, 2615 *parens*, 2624 *siet*, 2627 *primum*, 2629 *existimant*, 2669, 2674 *atque*, 2676 *humus*, 2680, 2691, 2691, 2699 *te*, 2702 *dehinc*, 2715 *primum*, 2716 *deinde*, 2717 *decet*, 2753, 2753, 2759, 2763, 2765, 2771, 2772 *inter*, 2775, 2777, 2777, 2778, 2779 *heu*, 2786

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 218, 256, 821, 857 (wie 1599), 962 (wie 1599), 1846 *ianuam*, 1929, 2097, 2152

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt: 14, 18 *cupit*, 23, 24, 31, 86, 97, 124, 136, 182, 183, 197, 275, 279, 303, 376, 383, 417, 428, 430, 437, 487, 557, 604, 648, 660, 671, 673, 685, 687, 700, 703, 713, 720, 725, 729, 732, 776, 783, 800, 839, 846, 873, 886, 915 *possiet*, 963, 1017, 1022, 1035, 1036, 1037, 1038, 1041 *veruto*, 1070, 1114, 1117, 1195, 1199, 1207, 1219, 1251, 1253, 1311, 1316, 1318, 1321, 1346 *Lucretia*, 1394 *amo*, 1424, 1449, 1599, 1601, 1609, 1617, 1621, 1626, 1644, 1646, 1666, 1696, 1743, 1782, 1783, 1791, 1794, 1797, 1802, 1841, 1852, 1877 *Lucretia*, 1886, 1887, 1890, 1896, 1907, 1908, 1930, 1939 *obtestor* (wie 1599), 1956, 2002, 2013, 2014, 2092 *symbolum*, 2109, 2154, 2163, 2167, 2178, 2184, 2222, 2267 *maceras*, 2272, 2278, 2286, 2309, 2315, 2319, 2339, 2359, 2460, 2464, 2478, 2495 *nuncius*, 2537 *aestimans*, 2542, 2543, 2613, 2634, 2648, 2656 *commodam*, 2675, 2692, 2695, 2699 *caeteros*, 2702 *stirpe*, 2707, 2712, 2715 *Lucretiae*, 2727 *fidem*, 2732, 2741, 2744, 2747, 2767, 2774, 2783

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 80, 162

‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 1128, 1900, 2267, 2687

‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 2779

‘Punkt’ gestrichen: 283 *condidit*, 459 *modo*, 1305 *arbitror*, 2766 *robore*

‘Punkt’ ergänzt: 100 *est*, 105 *sederit*, 190 *gulae*, 331, 416 *roto*, 763, 904, 917, 925 (wie 1599), 927, 999, 1282, 1457, 1484, 1497, 1572 *impie*, 1687, 1752, 1772 *probe*, 1775, 1880 (wie 1599), 1916, 2056 *adigit*, 2117, 2135 *eleva*, 2182 *nuncia*, 2231, 2299, 2382

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 59, 65, 70, 81, 84, 99 *Collatine*, 105 *expedivi*, 146, 156, 178, 194, 195, 211b, 212, 220, 309, 343, 345, 475, 501, 516, 627, 656, 701, 706, 723, 734, 746, 790, 832, 844, 851, 853, 857, 882, 918, 923, 984, 992 (wie 1599), 1008, 1014, 1077, 1089, 1107, 1186, 1201, 1208, 1226, 1234, 1242, 1250, 1376, 1399, 1401, 1433, 1470, 1517, 1538, 1545, 1591, 1598, 1620, 1654, 1691, 1695, 1768, 1785, 1787, 1796, 1814, 1816, 1821, 1831, 1831, 1833, 1850, 1852, 1857, 1871, 1872, 1882, 1914, 1948 (wie 1599), 1956, 1967, 2000, 2007, 2011, 2023, 2050, 2052, 2099, 2145, 2179, 2282, 2285, 2289, 2292, 2313, 2318, 2353 (wie

1599), 2364, 2384, 2390, 2406, 2425, 2432, 2454, 2458, 2482, 2532, 2611, 2630, 2668, 2694, 2745
'Punkt' statt 'Strichpunkt': 73, 2642
'Punkt' statt 'Komma': 8, 62, 62, 85, 115, 128, 142, 157, 182, 405, 531, 553, 807, 1541 *spondeo*, 1551, 1830, 1872 *emiseris* (wie 1599), 1944 (wie 1599), 1954 (wie 1599), 2009 (wie 1599), 2044 (wie 1599), 2158 (wie 1599), 2371 (wie 1599), 2602, 2618, 2757 (wie 1599), 2768 (wie 1599)
'Punkt' statt 'Fragezeichen': 89, 1629

'Strichpunkt' gestrichen: 872 *adversurus*
'Strichpunkt' ergänzt: 515, 889, 1753, 2320, 2605, 2786
'Strichpunkt' statt 'Punkt': 706, 779, 1102, 1110, 1767, 1837, 2341
'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 4, 11, 23, 69, 78, 112, 116, 135, 173, 176, 206, 224, 306, 346, 355, 370, 377, 393, 403, 499, 508, 521, 563, 663, 667, 690, 699, 752, 756, 758, 813, 825, 872, 878, 909, 940, 949, 959, 980, 1032, 1124, 1152, 1155, 1167, 1190, 1193, 1220, 1249, 1268, 1286, 1344, 1350, 1358, 1360, 1369, 1387, 1391, 1394, 1395, 1398, 1420, 1435, 1440, 1447, 1454, 1465, 1494, 1509, 1548, 1583, 1585, 1703, 1817, 1826, 1840, 1869, 1903, 1904, 1925, 1950, 1953, 2007, 2018, 2061, 2073, 2090, 2116, 2153, 2175, 2240, 2311, 2329, 2331, 2358, 2388, 2414, 2417, 2447, 2483, 2493, 2545, 2569, 2587, 2595, 2602, 2661, 2664, 2666, 2672, 2704, 2718, 2740
'Strichpunkt' statt 'Komma': 83, 102, 125, 128, 329, 490, 560, 710, 880, 1050, 1116, 1456, 1520, 1651, 1663, 1828, 1844, 1845, 1878, 1978, 2032, 2044, 2049, 2113, 2132, 2133, 2149, 2402, 2568, 2636

'Doppelpunkt' gestrichen: 17 *Mars*, 18 *procedit*, 19 *decet*, 72 *Tite*, 107 *diotam*, 183 *ulciscar*, 224 *audeat*, 268 *condidit*, 271 *considere*, 282 *est*, 294 *deditis*, 301 *munere*, 525 *desinet*, 530 *pervelit*, 571 *funditus*, 635 *Romule*, 638 *Diis*, 751 *Ilia* (wie 1599), 952 *abditus*, 973 *insidere*, 1036 *venerarier*, 1040 *lusoriae*, 1287 *scelus*, 1413 *Lucretiae*, 1470 mit Ergänzung ..., 1712 *ocyus*, 1790 *me*, 1795 *suggere*, 1819 *maxumo*, 1853 *nuncupabere*, 1906 *resistere*, 1920 *mactarier*, 1924 *corpora*, 1963 *est*, 2064 *parat*, 2108 *gerere*, 2110 *reddere*, 2505 *nuncia*, 2541 *narrasset*, 2644 *pronuncio*, 2703 *radicitus*, 2742 *regium*, 2773 *laudatissuma*
'Doppelpunkt' ergänzt: 210 (wie 1599), 1240 (wie 1599), 1270, 1744, 2345
'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 795, 1370, 2520
'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 5, 1455
'Doppelpunkt' statt 'Komma': 709, 2041, 2173, 2629

'Fragezeichen' gestrichen: 2479 *moriens* (wie 1599)
'Fragezeichen' ergänzt: 2396
'Fragezeichen' statt 'Punkt': 921 (wie 1599), 1087, 1328, 1474 (wie 1599), 1901
'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 610, 1045, 1129, 1188 (wie 1599), 1289, 2245 (wie 1599), 2268, 2426
'Fragezeichen' statt 'Ausrufezeichen': 2127 (wie 1599)

'Ausrufezeichen' ergänzt: 1519, 2583, 2586
'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 1265, 2034, 2037, 2046, 2508, 2514, 2547, 2547, 2561, 2583, 2587
'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 514, 1127, 1651, 1870, 1986, 1996, 2248, 2509, 2781
'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 66, 2422, 2517

'Anführungszeichen' ergänzt: 1371ff.